19

Q. D. B. V.

De

TRANSFORMATIONE HOMINUM IN BRUTA

Dissertationem Philosophicam

INCLYTÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ

Permissu & Autoritate

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Clarissimi atq; Excellentissimi

DN. M. JACOBI THOMASII,

Eloqventiæ Prof. Publ. celeberrimi, Facult. Philos. Assess. gravissimi, nec non Min. P. P. Collegii Collegiati Dignissimi,

Domini Præceptoris atq; Patroni omni observantiæ cultu æternùm devenerandi,

publicæ Eruditorum ventilationi subjicit

d. 2. Octobr. Anno C. 1667.

FRIDERICUS TOBIAS MOEBIUS,

Lipsiens. A.

Recusa Lipsiæ Ann. M DC LXXIII.

Typis & Sumptibus JOH. ERICI HAHNII.

25

Cum DEO!

Prooemium.

EGregius ſanè eſt rerum à Deo conditarum ordo, velut Thomas Brovvne autor Religionis Medici vocat, (*a*) *manifeſta creatorum omnium ſcala, non ea qvidem inordinatim & confusè extructa, ſed methodo elegantiſſimâ & ſummâ proportione concinnata.* Et hanc cùm omnis homo ad gloriam Dei conditus admirari debet, tùm prælertim cavere, ne cum Philoſophis qvibusdam ſentiat, omnes poſſibiles rerum formas eſſe productas, nullamqve adeò fieri amplius à DEO poſſe, utpote qvi neceſſitate operandi qvâdam vim inſumſerit omnem in primâ rerum productione (*b*). Hoc enim etiam negato manet tamen pulcherrima ea ſcala (*c*), uti oſtendunt Philoſophi ſaniores. Deinde illud qvoqve hîc eſt cavendum, ne putemus aliqvam eſſe detruſionem eſſentiarum à proprio, debitoqve loco, qvi iis in ordine rerum elegantiſſimo eſt aſſignatus, ubi nulla eſt. Sunt enim, qvi dicunt eam fieri qvandoqve in non paucis rerum eſſentiis, imò in hominis ipſius. Atq; de hâc ultimâ, eâq; valde mirabili altiùs cogitantes, peculiaribus illam theſibus explicare penes animum noſtrum decrevimus. Cætera igitur mittentes diſqviremus, an Homines à propriâ ſede, ad brutorum, ut ita dicã, loculamenta qveant deturbari, h. e. agemus de *Transformatione Hominum in bruta.* Cùm autem unicâ diſputatione Materia hæc non adeò facilis includi haut poſſit, duabus id conari exercitationibus conſtitui. Et in primâ qvidem explicabo tàm Transformationem Hominum in bruta in genere, qvàm in ſpecie, divinam ſcilicet & magicam: illam qvidem totaliter, hanc verò tantùm qvoad partem. Reſervabo nimirùm diſputationi poſteriori refutationem Bodini aliorumqve, & qvæ alia adjuncta tradi de Transformatione diabolicâ ſolent. Qvæ ut omnia

bene

bene eveniant rogamus Deum T. O. M. qvem vel gentilium præcepto rerum omnium agendarum convenit esse principium (*d*). ΘΕΟΣ! ΘΕΟΣ! (*e*)

a) In Relig. Med. part. 1. sect. 32. p. 197. conf. Eund. sect. 20. p. 183. Sperling. Inst. Phys. l. 9. q. 4. p. 227. III. 1. q. 2. p. 406. IIX. p. 1158. & Scaliger Exercitationes sæpè citatas à Sperlingio l. c. *b*) De hâc opinione non pauca habet Excellentissimus Præses noster in Disput. de Visu Talparum §. 38. & Collegio Histor. Phil. MSS. c. 2. § 8. 9. 14. 15. seqq. qvi §. 21. seq. etiam probat, falli eos, qvi Angelorum existentiam volunt demonstrare à fugâ vacui formarum. Recordamur hîc qvoqve eorum, qvæ monuit Excell. Alberti Patronus & Præceptor Noster honoratissimus, anno superiore in Colleg. ad Prückneri Pnevmat. c. 2. de Ang. & c. 3. de anim. ubi inter alia dicebat, *mensuram creationis non constituendam esse gradualem ascendentiam formarum ad Deum, sed liberrimam Ejus Voluntatem.* *c*) Vid. Excell. Præses l. c. & Bernardus Morisanus in Disp. Phys. ad lib. de Cœlo disp. 1. dub. 1. p. 524. *d*) V. Pomarii Consiliar. Scholast. p. 19. 20. 21. Rittershus. Sacr. Lect. I. 1. p. 1. 2. seqq. Plinii Panegyr. Trajani p. 2. & alios. *e*) *Qvidam saniorum de pago in more habuerunt Scriptorum antipagmentis* (hoc) *præfigere, & solenni talismodi divinam qvodammodo opem implorare.* Vid. Pomar. l. c.

§. 1.

[Tran]sformatio hominis [in b]ruta. Ejus [hom]onymia

NOn una possibilis est Hominis Transformatio, sed qvandoqve fit in lapidem (*f*), nonnunqvam in arboris truncum (*g*) aliaqve. Ab his igitur ut nostram distingverem Transformationem, addidi qvod fit in bestias. Sed ne sic qvidem omni caret ambiguitate, qvam in ipso statim primordio, more disputantium, evolvemus.

f) de qvâ in seqvent. *g*) Stengel. vide de Monstris cap. 14. pag. 483. affinis fermè historia est ei, qvæ de Rubezahlio aliàs refertur.

[Tran]sformatio [Mo]ralis seu [Meta]phorica;

§. 2. Est itaqve *Transformatio Hominum in bruta* I. *Moralis* seu *Metaphorica*; qvando scil. Homines, labe improbitatis infecti, ex similitudine morum bestiæ qvasi evadunt, eas brutorum edentes actiones, qvæ in hominibus repertæ vitia appellantur. De qvâ Transformatione sæpius non scripturam solùm sacram (*h*) sed & Autores alios qvamplurimos, tàm sacros qvàm profanos, esse constat locutos (*i*).

h) Psalm. 31. v. 9: *nolite fieri sicut eqvus & mulus qvibus non est intellectus.* Ps. 48. in fin. *Comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Conf. Ezech. 22. v. 27. Epist. ad Philip. 3. v. 2. aliaqve loca qvæ citat Drexelius in Daniel. 12. p. 804. 805. 806. T. II. oper. *i*) Vide si lubet Chrysostomum (homil. in Matth. citante Stengel. l. c. cap. 15. §. 5. p. 531 & Scip. Gentil. ad Apulej. Apol. p. 56.) Greg. Nyssenum (cit. Stengel. l. c. p. 529. hic inter alia

sic :

sic: qui autem impetu rapitur ad contumeliam, nonne scorpius est? qui preceps ad vindictam ultionemq; fertur, nonne est vipera gravissima? qui a avarus ipse? nonne est lupus rapacissimus? nulla in nobis bestia non invenitur &c.) Origenem (cit. Phil. Beroald. in Commentar. ad Apul. Asin. Aur. p. 8.) Nicephorum (cit. Sc. Gentil. ad Apul. l. c.) Justinum Martyrem de Verit. Relig. Christian. p. 32. T. II. Oper. edit. latin. J. Langi. Lactantium divin. Lect. III, 8. p. 193. V, 11. p. 389. Gellium Noct Att. XIX, 2. p. 771. Livium III, 66. p. 137. (Conf. Vellej. Paterc. II, 17, v. 2. not. Boecler. p. 105. & Justin. XXXIIX. 6. n. 8. not. Bernegg.) Senecam Epist. 60. p. 263. Ælianum XIII. Var. Hist. 8. & 9. p. 251. Ciceronem (v. Penu Tullianum Frobenii p. 97. & Lactant. V. p 389.) J. Langum Epist. Medic. I, 70. p. 415. Ph Beroaldum in Comment. l. c. Sperlingium Inst. Ph. I, 3. q. 4. p. 118. Goclenium in Lexic. Phil. p. 1138. Drexelium l. c. Stengelium, Eosqve qvos citat Ipse hanc in rem non paucos l. c. p. 511. ad 549. Videntur etiam huc referenda esse qvæ habet Aristoteles VII. de moribus 1. p. 49. & 6. pag. 52. II. Magn. Moral. 5. p. 103. de Virtutis Heroicæ contrario Feritate. Conf. Mureti Commentar. in Ethic. Aristot. p. 504. 507. 510. Martin. Biermann. disp. de Magic. Act. §. 41. qvæ invenitur inter Jac. Martini disput. misc. III. p. 682. 683. Nicol. de Magic. Act. Exerc. 6. p. 143.

§. 3. II. *Poetica*, qvæ à Poetis vel aliis conficta est scriptoribus (*k*) speciem veri aliqvam habens, & moraliter utplurimum (*l*) ab Autoribus explicatur. *2. Poetica*

k) Ita etiam terminum Poeticæ Transformationis sumere videtur Goclenius in Lex. Phil. l. c. *l*) V. Balduin. Cas. Consc. III. 8. p. 555. & Franzii Histor. Animal. p. 256. Qvanqvam autem valdè cum morali conveniat, multis ab eâ tamen modis etiam differt. Convenit, qvòd utrobiqve aliqvid est metaphorici: Differt verò (1) In Morali metaphora est explicita; in Poeticâ est eruenda. (2) Moralis speciem veri, uti Poetica, non habet. sicut etiam (3) Moralis non pro verâ metamorphosi uti Poetica venditatur.

§. 4. Unde tamen non seqvitur, omnes qvæ à Poetis recensentur metamorphoses falsas esse, (*m*) id qvod alibi ostendetur (*n*). Hæ igitur Transformationes, qvæ veræ sunt, licet à Poetis traditæ, à nobis hîc nomine Poeticarum conversionum non accipiuntur. De his agemus enim, de iis fabulosis neutiquam (*o*).

m) Tenendum hîc est medium, vitandus excessus & defectus. Deficiunt ii, qvi omnes in Poetis repertas transmutationes hoc ipso, qvia à Poetis traditæ, falsas esse clamant. Excedunt, qvi cunctis Poetarum figmentis de metamorphosi fidem adhibent. *n*) in disput. post. Interim notetur locus Ulrici Molitoris & Bodini. Ille de Pythonic. Mul. p. 45. sic ait: *Poeta certè rejiciendi non sunt. Nam Coelius Lactantius ait, Poetas historias scripsisse, sed sub occulto figmento velisse.* Et idem paulò ante Virgilium inter Historiographos refert. Hic II, 6. dæmon. p. 343.

Metamorphosis Ovidii res veras confudit cum fabulosis. o) similiter faciunt Delrio in Disqvis. Mag. II, q. 18. p. 186. & Remigius II. dæmonolatr. 5. p. 124. aliiqve plures.

tificia. ptica; §. 5. Uti nec de eâ, qvæ in ordine III. est, & commodissimè appellari poterit *Artificialis*, qvâ per Opticam aut alia artificia, Homo in varias brutorum imagines transformatur. Egregium hujus documentum edidit Cornelius Van Drebbel Alcmariensis, insignis Mathematicus, de qvo Ch. Pellerus in Politico Scelerato impugnato (*p*).

p) p. 37. 38. Verba ejus non indigna notatu adscribemus: *Sed de Drebellio* (ait Hegener. in Itiner. Fris. Holl.) *non possum, qvin hac apponam, qvod ipse ad amicum suum Isebrandum à Rietwick Alcmariam literis perscripsit. Ego, scribit ille de se ipso, in camerâ manifestè sedeo solus, nemine mihi adsistente. Et primò vestitum meum transformo in præsentiâ & aspectu illorum omnium qvi in cubiculo sunt. Postea formam mutuor cujuslibet rei creatæ, qvamcunqve cupio, ut jam mutor in leonem, jam in ursum, jam in eqvum, in vaccam, in ovem, in vitulum, in porcum &c. Atqve hæc omnia in medium produco novâ inventione, qvam beneficio Opticæ excogitavi, cujus vi res mirabiles ac pulcherrimæ præstari possunt, qvas longum beis memorare foret, de qvibus alio tempore pleniùs.* Conf. Nicol. l. c. p. 128. Portæ Magiam Nat. p. 532.

aturalis, svetudinaria §. 6. IV. *Naturalis:* qvæ iterum dividi potest in consvetudinariam & morbosam. (1.) *Consvetudinaria:* qvando Homines ex consvetudine cum brutis qvâdam, eorum actiones assumunt, & iis in plerisqve similes fiunt. Exempla prostant in Henric. Kornmanno (*q*) Melandro (*r*) Zeilero (*s*) M. Grundmanno (*t*) & Autoris incerti spectaculo Historico (*u*).

q) de mirac. Vivor. p. 53. 54. *triennis puer à lupo in antrum suum tractus non modò illæsus mansit, verùm potius à lupo prædâ educatus est, qvadrupes & ipse incedens, currereq; ab alio edoctus, dum vixerit: tandem inventus ab incolis magno labore recto corpore incedere valuit* &c. *r*) Jocoser. I, p. 160. 161. 162. *s*) Epist. part. 1. cent. 3. p. 662. Epist. Misc. 48. p. 423. 424. *t*) Geschicht-Schul: p. 386. 387. *u*) Centur. I. histor. 29. ad 32. p. 55. ad 68.

morbosa; §. 7. (2.) *Morbosa:* qvæ fit phantasiâ perturbatâ, ex copiâ atræ bilis, ubi Homines se in lupos, asinos, feles, boves &c. commutatos esse falsò imaginantur, ea omnia imitantes, qvæ animal id, qvod se esse existimant, facere solet.

§. 8. Qvemadmodum etiam fuerunt fictilem se urceum, acephalum, mortuum, ex vitro aut butyro constructum, vas cereum, milii

granum

granum & Cardinalem esse putantes. Nasum se habere alii dixerunt, in prodigiosam longitudinem exporrectum, sonantia frena & ferramenta, vel ranas & bufones in intestinis, & apes in capite gestare, qvod in alvear mutatum scilicet & fimo bubulo sit circumliniendum. Taceo exempla plura qvæ apud Scriptores (w) largiter inveniuntur. *Nihil* enim, ut verbis Sperlingii (x) utar, *tam ridiculum & ineptum est, qvòd non interdum melancholici sibi imaginantur.*

w) Majolum in Colloq. Phys. seu Dieb. Canic. T. II. p. 321. Cornel. à Lapide in Daniel. p. 1309. Camerar. Hor. Succ. cent. I. c. 72. p. 329. Theodoric. Colleg. Criminal. disp. 7. §. 3. Lit. Q. Melandr. Jocoser. I, 60. seq. p. 78. seq. Junium Orat. part. 3. Orat. 2. p. 311. & Or. 3. p. 325. Neandr. Phys. part. 2. p. 165. 166. seq. Heigium in qvæst. jur. part. post. q. 38. p. 330. 331. Hackspan. in distinct. Theol. Phil. p. 335. Sperling. Inst. Ph. II, 4. q. 8. p. 332. & IIX, 3 p 1077. Remig. dæm. II, 5. p. 231. Stengel. l. c. p. 321. seq. Beyerling. in Theatr. Vit. Hum. in Lit. M. p. 397. seq. Lavater. de Spectris. part. I. c. 2. p. 9. seq. Zeiler. epist. part. 2. ep. 386. p. 287. Harsdorff. delic. Phil. Mathem. part. 3. p. 534. x) l. c. p. 332. affine huic est qvod legitur apud Dilherr. in Elect p. 232: *metamorphosis melancholica plures sunt species qvàm nomina.*

§. 9. Sed neqve hanc hominum in alia mira, neqve morbosam in bruta Transformationem nostri considerare est instituti, cùm *Medicis ea sit potiùs relinqvenda*, vel ipso Medicorum Principe Sennerto dicente (y). Multa interim de eâ disputant uti Medici, ita JCti, Theologi, Philosophi, Philologiqve (z), sed Medici ex professo, cæteri obiter tantùm & per accidens.

y) Instit. Med. II. part. 3. c. 7. p. 299. & 393. z) Cœlius Rhodiginus Lect. Antiq. XXVII, 12. p. 1500. J. Langius l. c. p. 413. 414. J. Petr. Langius in delic. Academ. II, 16. p. 55 56. 57. Sennertus l. c. Zachias in Qvæst. Med. Legal. II, q. 16. p. 42. n. 41. Vallesius in Sacr. Philosoph. c. 28. p. 167. & c. 80. p. 462. Schottus in Phys. Cur. I, 26. p. 122. 123. II, 6. p. 227. IV, p. 620. 621. Theodoricus l. c. Cerda ad Virgilii Bucol. p. 166. Alstedius Encyclop. T. IV. p. 2267. Peucerus de divinat. p. 284. Beyerling. T. IV. Theatr. p. 300. Delrio Disq. M. p. 188. Wierus de præstig. III, 21. p. 453. 454. Neander l. c. p 165. 166. seq. Dortomannus de causis & effect. Thermar. Beliluc. lib. post p. 139. Stengelius l. c. p. 497. 498. & 321. 322. 324. Junius l. c. part. 3. p. 314. 315. J. Ern. Pfuel in Elect. Ph. p. 127. c. 3. Heigius l. c. Nicolai l. c. p. 142. 143. Biermannus l. c. p. 683. §. 41. H. Magius in Var. Lect. IV, 12. p 1427. (in T. II. Thesaur. Cr. Gruteri) Joan. Friederichus hujus qvondam Academiæ Professor in Orat. de Lycanthrop. p. 10. 11. 17. 98. Hackspan. l. c. Camerarius l. c. p. 320. seq. Dn. Dillherrus in Elect II, 12. p. 232. Balduinus l. c p. 558. Theologus Consummatissimus Geierus ad Daniel. p. 371. 374. Majolus l. c. & p. 312. Zeilerus

in

in Centur. Var. qvæst. 3. q 52. p. 231. (hic enim Libri ejus autor habetur) Danhavverus in Colleg. Pſych. diſp. 1. p. 30. Coqveus ad Auguſtin. de Civ. Dei XVIII. p. 596. Porta l. c. p. 311. Lavaterus l. c. Brochmand. in ſyſtem. Theol. T. II. p. 593. Voetius in Select. diſput. Theol. p. 1037. 938. 759. 760. Voſſius de Idolol. p. 945. 1089. Politianus in Miſcell. c. 50. (T. 1. Theſ. Crit.) p. 62. 63. ubi multa habet de Virgilii loco Ecl. 6. v. 48:

Prœtides implerunt falſis mugitibus agros.

conf ad h. l. Cerdam p. 121. Taubmann. p. 64. De Prœtidibus etiam habet Plinius N. H. XXV, 5. p. 1136. & Dalechamp. ad h. l. p. 1138.

perna-ralis. §. 10. V. *Supernaturalis* (voce hac in laxiore ſignificatione acceptâ) qvæ reliqvis facillimè poterit contradiſtingvi Transformationibus, & hujus eſt loci.

nymia §. 11. Hæc de Homonymia: Cui & adjicere licet, ſed paucis Transformationis noſtræ ἰσοδυναμοῦντα, ut in rem dein ipſam eò melius expeditiusqve penetrare poſſimus. Ea verò ſunt vel ſpecialia, vel generalia, qvæ tamen facilè priorum induent naturam, ſi iis adjeceris vocem ſupernaturalis.

§. 12. *Generalia*, (qvæ vel græca vel latina,) hæc ſunt: Lycanthropia (*a*), Metamorphoſis, Metenſomatoſis (*b*), immutatio, converſio, Transfiguratio (*c*) & Transmutatio (*d*) Hominum in bruta. *Specialia:* Hominum in bruta prodigioſa Transmutatio (*e*), monſtroſa Transformatio (*f*), commutatio incredibilis (*g*) &c.

a) Lycanthropiæ vocem ſumi videmus latè & ſtrictè. Latè pro mutatione hominum in brutum qvodvis. Strictè, pro converſione tantum in lupum. Exempla reperiuntur paſſim. V. Friederich. l. c. p. 17. Sic qvoqve ſe res habet cum lycanthropiâ, qvatenus ſignificat morbum. Dicente enim Voſſio de Idol. p. 1089. *eo nomine intelligenda non modo ea, cùm qvis in lupum ſe converſum putat, uti græcum nomen ſonat: ſed etiam, qvando in vaccam aut aliud.* *b*) V. Goclen. Lex Phil. Græco p. 135 & (cit. Scapulâ in Lexic. Gr. p. 1506.) Gregor. de Homine, Platonemqve X. de legibus. *c*) V. Goclen. Lex. Ph. p. 1137. Bodin. in confutat. Opin. Joh. Wievi, p. 768. *d*) Hoc vocabulum uſurpare non audet G. J. Voſſius de Vit. Sermonis III, 53. p. 653: *Transmutatio*, inqvit, *vix dicere auſim, idoneo deſtitutus autore; etſi etiam mutatio & transmuto proba ſint: Eſt cum pro eo mutatio vel immutatio; eſt cum viciſsitudo vel aliud malim.* Sed videmus tamen adhiberi iſtud à Camerar. l. c. Timplero in Metaph. IV, 4. p. 705. Nicol. l. c. p. 119. Bodino dæm. p. 332. & Marco Marci in Catalogo Capitum lib. II. Idear. Operatr. qvi tamen liber lucem nondum aſpexit. *e*) Remig. l. c. p. 227. *f*) V. Taubman. ad Virgil. VI. Æn. v. 21. p. 759. *g*) hanc in rem Bodinus dæm. l. c. *ſed nihil omninò tam incredibile & admirabile, qvàm hominis in beſtiam & corporis in corpus mutatio.*

§. 13.

§. 13. Ad ipſam nunc accedimus πραγματολογίαν, in qvâ primo ponenda nobis loco videtur, aliqva ſupernaturalis Hominum in bruta Transformationis deſcriptio (*b*). *Eſt* igitur *ea mutatio Hominis, qvâ vel à Deo, vel Diabolo in beſtiam convertitur.* Definiti[o]

b) Definitionem enim perfectam dare hîc non poſſumus: (1) qvia res definienda eſt analogum. (2) qvia lites tot ac tantæ de modo qvo fiat, & aliis, nondum ſunt deciſæ.

§. 14. Prægnans hæc eſt deſcriptio, ut loqvuntur Scholaſtici, ipſamqve complectitur in ſe Transformationis diviſionem. Diſpeſci enim poteſt commodiſſimè in *Divinam* & *Diabolicam* (*i*). De ſingulis agemus diſtinctè. Diviſio *Divinan[...]* *Diabolic.*

i) Sic dividit qvoqve Transformationem Goclenius in Lexic. Ph. p. 1138. Dicat autem aliqvis, omiſſam in hâc diviſione unam eſſe ſpeciem, nempe humanam. Reſp. Hæc ipſa refertur ad Diabolicam. Faciunt enim id Homines non tàm ipſi, qvàm Diabolus, vel ſaltem Diaboli potentiâ adjuti. Eleganter Delrio ad Senecæ Medeam p. 70: *Qvæ fiunt, certum eſt ea non à Magis, ſed ab ipſo Dæmone fieri.* Cum eo ſeqventes conſentiunt Autores; Sprenger. in Malleo Maleſ. part. 2. p. 296. c. 8: *Malefica homines in beſtiales formas virtute dæmonum, qvi talia principaliter operatur, transformant.* Timplerus l c p. 676: *Neq; ſententia ipſorum patrocinantur exempla ſubſtantiarum, qvæ vulgò narrantur à Diabolo aut immediatè, aut mediatè per Magos & Lamias fuiſſe transmutata.* Bodinus dæmon. p. 351: *Magus qvandoqve illuſione diaboli facit, ut homo alius, qvàm ſit, eſſe videatur.*

§. 15. Et primò qvidem conſiderabimus *divinam*, cujus autorem eſſe Deum ex ipſâ voce eluceſcit. Atqve hunc homines in bruta transformare per omnipotentiam ſuam poſſe, extra controverſiam eſt, & nullus, qvod ego ſciam qvidem, in dubium eſt auſus vocare; Auguſtinus (*k*) certè ait: *Deum omnia poſſe facere* (loqvitur autem ibi de Transformationibus) *qvæ voluerit ſeu vindicando, ſeu præſtando firmiſſimè eſſe credendum.* Et Delrio (*l*) Sprengerus (*m*) Biermannus (*n*) aliiqve transmutationem veram & ſubſtantialem ſolius dicunt eſſe *Dei reſervatum.* *de* *DIVIN[...]* *Ejus* *1. Poſſibil[i]tas;*

k) de civit. Dei XVII, 18, p. 591. conf. Delrium part. 3. Syntagm. Trag. Lat. p. 447. Brochmand. Syſtem. Theol. T. I. p. 106. Spineum in Ponzinib. de Lamiis c. 9. p. 636. Riolanum in Commentar. ad Fernel. de abdit. rer. cauſis c. 6. p. 111. Hujus verba hæc ſunt: *Poteſtnè Deus ipſe naturas rerum invenire? poteſt qvidem abſolutâ, non ordinariâ potentiâ, qvæ natura naturans ſolet nominari: neq; enim credibile eſt, qvòd ordinem à ſe inſtitutum velit pervertere, niſi forte ſecreto aliqvo conſilio, ut cùm uxorem Loth in ſtatuam ſalis commutavit, Nabuchodonoſor Regem in jumentum.* *l*) ad Senec. Agamemn.

memor. part. 3 p. 510: *formam propriam & naturalem hominis in aliam transmutare posse, Soli Deo reservatum. Communis enim Theologorum schola hoc docet cum Augustino* &c. m) in Malleo Malef. part. 1. q. 1. p. 13: *Secundum etiam, qvod in melius, deteriusve valeat transmutari, intelligatur solummodò à Deo autoritate & ad correctionem seu ad punitionem.* & c. 8. part. 2. p. 298: *Cujusmodi (transmutationes qvidditativa) solus Deus, qvi talium qvidditatum creator existit, facere potest.* n) l. c. §. 34. p. 677: *Detractio aut obscuratio siderum, suspensio terræ, & transmutatio vera, aut unius animalis in aliud diversa speciei, ut hominis in lupum, felem &c. hæc si à Deo discesseris, nullius causa vi effici possunt.* & p. 681: *in Deo cum sit omnium rerum ratio eminentissimè, omnia potest, omnia qva vult, agit.*

Exemplis

§. 16. Qvod an aliqvando exercuerit, vel qvomodocunqve homines in bruta transformaverit, ingens & difficilis eſt qvæſtio. Affirmativam nos amplectimur ſententiam, divinarum exemplis Transformationum inducti. Dicimus tamen eas, qvarum Deus autor eſt, transmutationes valdè raras eſſe, & à multitudine diabolicarum longè ſuperari. Hæ enim fermè ſunt innumeræ, cùm illarum vel ſex tantùm exempla (de qvibus etiam magna oriri adhuc poſſet qvæſtio, an omnia ſint vera) apud autores invenire potuerim. Unum Scriptura ſuppeditat ſacra, Scriptores profani reliqva.

m(a) certas

§. 17. Ut autem diſtinctius hæc proponantur, lubet Transformationem divinam diſpeſcere rurſus in ſubſtantialem, & accidentalem. *Subſtantialis* eſt, qvæ hominis ſubſtantiam in aliam beſtiæ, & *Accidentalis*, qvæ hominem qvoad accidentia tantùm in brutum transmutat.

...q; sub-...antialis in-...nem;

§. 18. Illius exemplum qvidam eſſe volunt Nebucadnezarem, ſed à Theologis noſtratibus refutantur; de qvo agetur in ſeqventibus (o). Melius huc qvadrare videtur, qvod Joannes Cluverius (p) de homine blaſphemo in canem divinitùs mutato, recenſet.

o) §. 31, 32. p) in Appendice ad Epitom. hiſtor. Lib. X. p. 845. Ea qvoqve hiſtoria legitur apud Martinum Grundmann in der Geſchicht-Schule / p. 16. 17.

§. 19. Verba hæc ſunt: *Ecce verò mihi, qvi homines degenerâſſe in beſtias diffiteris, evidentiſſimum tremendi judicis teſtimonium. In finibus Muſcoviæ Martio hujus anni menſe vivebat vir nobilis genere, dignitate qvæſtor, nomine Albertus Pericoſcius. Hic miſeram plebem, ſi tributa tardius exſolveret, pecoribus & jumentis ſpoliare ſvetus, cùm domo ſortè abeſſet, unicâ nocte omnem injuſte qvæſitum gregem amiſit. Extinctum ſubitaneâ internecione jacuit, qvicqvid rapuerat, qvicqvid coëmerat homo improbus.*

Rever-

Revertenti peregrè nuntiat servus, inde uxor cladem divinitùs [illegible] Ad hæc frendere homo blasphemus, sclopetum in cœlum explodere, [illegible] eructare voces! Qvi interfecit, devoret: Si noluisti me edere, [illegible] Ad furiosos in Deum latratus guttæ destillarunt sangvinis. Hom[illegible] conf[illegible] in canem versus nigrum, ululando invasit pecudis morticinas, i[illegible] pasci cœpit, ac forsan hodieq; pascitur. Mulier gravida aliqvandiu viri casus superstes tanti horrore judicii exanimata est. Non ab auritis tantum, sed ab oculatis accepi testibus, qvod narro.

§. 20. Atqve hanc historiam veram esse, de substantialiqve loqvi Transformatione, cùm Autoris verba satis perspicuè indicant, tùm confirmant Danhavverus (*q*) & Henricus Nicolai (*r*).

q) Homil. Academ. part. 2. p. 52. Hic cùm prius ex Ovidio retulisset Lycaonem in lupum conversum, sic ait: *incidit hæc dum describo fabula in veritatem versa, in altero Lycaone Polono, cujus rabiosam blasphemiam rabiosâ talione mulctatam celebris nostri seculi historicus his verbis: Ecce mihi, describit* &c. *r*) de Magic. Act. p. 137: *Et licet substantia immutata fuisset* (in Nebucadnezare scilicet) *divina ea tamen fuisset immutatio. Sic in finibus Muscoviæ qvidam Albertus Pericofscius* &c.

§. 21. Qvemadmodum autem huic historiæ fides historica, ita isti de Nebucadnezare (*s*), qvi Transformationis accidentalis esse poterit exemplum, plusqvàm apodictica est attribuenda. Cum autem non pauci huic sententiæ contrarientur, aut falsam saltem foveant de modo istius metamorphosis opinionem, lubet historiam qvasi qvandam eorum contexere, iisqve opponere expositionem cùm aliorum rectè statuentium, tùm nostratium præcipuè Theologorum. *Tùm accidentalis, in exemplo Nebucadnezaris*

s) notissimum est qvod habet de eo Daniel cap. 4: *Eâdem*, inqvit, *horâ sermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abjectus est, & fœnum ut bos comedit, & rore cœli corpus ejus infectum est, donec capilli ejus in similitudinem aqvilarum crescerent, & ungves ejus qvasi ungves avium* &c. Ceteras metamorphosis istius circumstantias apud Danielem invenies tàm in cap. antec. qvàm seq. Similiter autem conversum esse in Elephantum Devvetam (apud Rogerum in Offen-Thür zum Heidenth. part. 1. c. 17. p. 163. seq.) si vera essent, qvæ ibi narrantur, dicendum foret. Devvetas enim homo non vulgaris ex superbia, & irreverentiâ ergà sanctum qvendam, à Sancto pœnæ causâ in Elephantum mutatus est (ut istic legitur.) Qvo facto in sylvâ cum feris aliis vixit. Sed certo tempore ad pristinam rediit faciem pœnitentiam agens, & Deo supplicans multis precibus & cantionibus. Verùm qvis non videt, meras esse gentilium fabulas?

...u historia ...um lite- ...m negant

§. 22. Inventi hic primùm sunt qvi Nebucadnezaris Transformationem in dubium vocare audent, Origenes nempe, Henricus Salmuth, eorumqve sectatores.

...rigenes

§. 23. Origenes (t) affirmavit hæc de Nebucadnezare non historicè sed parabolicè (u) duntaxat narrari, & sub Regis nomine casum Luciferi depingi. *Verùm D. Hieronymus, & alii pleriq; ajunt hanc hæresin esse, cùm ex simplici narratione ejus facti pateat historiam esse, & scripturam clarè dicat, omnia hæc venerunt super Nabuchodonosor Regem*, qvæ scilicet ipse prius narraverat sibi in somno ostensa.

t) Vide Stengel. de Monstris c. 10. p. 317. 318. Schottum in Ph. C. III, 21. p. 509. Cornel. à Lapide in Daniel. p. 1308. & Ch. Schotanum in Biblioth. Sacr. V. Test. p. 1095. de 70. annis Captiv. Babylon. u) Origenes nimiùm qvantùm delectatus est parabolis, & ob id dictus est Pater Parabolicus, in maximasqve cecidit hæreses, annotante Excell. Alberti in Colleg. ad Pruckn. Pnevmat. c. 2. de Angel.

§. 24. Similem in modum Schottus (w) cum Origene sentire pro piaculo habet: *de fide*, inqvit, *præcedentium historiarum dubitare sine piaculo qvis posset, qvoniam non nisi humanâ nituntur autoritate: seqventem* (de Nebucadnezare scilicet) *revocare in dubium sine crimine nemo potest, qvi divinâ conscriptam ac stabilitam non ignorat.*

w) l. c. p. 506. confer. Bodin. dœm. p. 356. & refut. VVieri p. 765.

§. 25. Firmum etiam contra Origenem stringi videtur posse argumentum ex eo, qvòd, referente Simsonio (x) & Schotano (y), hujus historiæ vestigia extitere apud Ethnicos scriptores. Abydenus (z) enim apud Eusebium, ex Annalibus Chaldæorum prodidit Nabuchodonosorem, cùm intumuisset, & super palatium suum ascendisset, divinitus furore correptum esse. Ethnici certè historiarum scriptores casum Luciferi nesciverunt, adeoqve parabolam de eo neqviverunt conscribere. Unde omninò conseqvitur historiam esse, non parabolam Nebucadnezaris metamorphosin.

x) in Chronic. Cathol. part. 3. p. 110. y) l. c. conf. Cornel. à Lapide in Daniel. p. 1320. z) Hic à qvibusdam vocatur Alphæus, à nonnullis Megasthenes.

...almuth;

§. 26. Venio ad Henricum Salmuth (a) cujus opinionem ex propriis ejus haurire placet verbis: *Josephus*, inqvit, *nihil accidisse Regi existimat, præter septennem imperii privationem, qvæ illum ab augusto majestatis gradu dejectum ac miserum bruto exæqvârit. Nam cum brutis eum pabulantem, & rore cœli conspersum iri, & fœnum ut bovem comesturum,*

ſturum, qvoad reſipiſceret, ac Regem cœleſtem cognoſceret omnium excellentiſſimum; ac tum demum priſtinam faciem ſeu autoritatem eum recepturum Daniel prædixerat. At ubi qvis potentum non ſit, qvi fuerit; tum qvidvis eum potius, qvàm hominem vitalem haberi ſolere, poſt Joſephum X.Ant.11. Stephanus Forcatulus rectè cenſuit lib. 5. de Gallor. Imp. & Philoſ.

a) ad Panciroll. Rer. Memorab. lib.1. de Eqvis p.475. 476.

§. 27. Sed ex iisdem fere principiis, qvibus anteà ſententiam Origenis vidimus rejectam, hæc qvoqve, qvam Henr. Salmuth in verbis ultimis ſuam facit, refutari poſſet.

§. 28 Hactenus de inficiantibus veritatem hiſtoriæ ipſam, qvos jam excipiunt ii, qvi non negantes eam qvidem, de modo tamen Transformationis regiæ diſceptant. Atqve hos diſtingvere licebit optimè in deficientes, excedentes, & viâ incedentes mediâ. *malè exp nunt*

§. 29. Deficiunt (1.) qvi metamorphoſin Nebucadnezaris tantùm fuiſſe morbum [cujus in evolutione homonymiæ fecimus mentionem(*b*)] affirmant. Sic ſtatuunt pleriqve Patres (*c*), Mercurialis (*d*), Pomponatius (*e*) & Thomas (*f*). In eam qvoqve ſententiam inclinare videntur Zachias (*g*) & Biermannus (*h*). Sed malè in cenſum illum à non paucis (*i*) Franciſcus Valleſius (*k*) refertur. *alii in defectu peccantes, de mor*

b) §. 7. ſeqq. c) Affirmat hoc Delrio in Diſqviſ. M. p. 190. *de Nabuchodonoſor qvoqve pleriqve Patres negant formam bovis ſeu bovini corporis effigiem induiſſe, ſed duntaxat volunt ſic mente abalienatum fuiſſe, ut ſe bovem crederet.* d) V. Zachiæ qvæſt. Med. Leg. l. c. Contra eum diſputant Gerhardus in Loc. Theol. T. 8. p. 270. Danhavverus in Colleg. Pſychol. p.29 (*non nuda*, inqvit, *fuit imaginatio ex copiâ atra bilis orta ut vult Mercurialis*) & Stengelius l. c. p. 323. 324. qvi ſic ait: *modus iſte non ſufficit, & meritò dicitur à Cornelio non adæqvatus; qvia nullus naturalis morbus figuram hominis mutat, neqve temperamentum ejus ita efferat, ut per ſeptem annos cibo ferino, & qvaſi fera cum ferinis vivat. Neqve ſanè Regi reliqva in ſylvis fera peperciſſent, ſi mutatio iſta fuiſſet in ſolâ illius phantaſiâ, qvam non vidiſſent. Et eſto protegi à Deo etiam ſic potuiſſet contrà vim aliarum beſtiarum, certè neqve Daniel, neqve ceteri Satrapæ, eum ex aulâ in ſylvas eliminâſſent, ſi vidiſſent nihil in eo, niſi phantaſiã corruptam; ſed eum domi catenis alligatum aut conclavi cohibitum cuſtodiiſſent, donec ad ſe rediret, ſicut & alii inſani cuſtodiuntur.* Schottus in Phyſ. Cur. p. 511. easdem profert rationes mutatis tantùm verbis, Conſ. etiam Cornel. à Lapide in Dan. p. 1308. 1309. e) V. Gerhardum l. c. f) Stengelius l. c. p. 321. 323: *in libro 2. de Regimine hoc habet Thomas, qvem Bellarminus aliiqve non cenſent eſſe* S. Thomæ. conſ. Schotti Ph. Cur. p 511. g) l. c. h) in diſp. de M. Act. p. 681. §. 38. *Nam ut de Babylonii Regis exemplo nihil diſputem, an non mera fuerit*

 animi

animi ægritudo &c. *i*) Zachiâ l. c. Stengel. l. c. p. 323. & Schotto l. c. p. 511. alisqve. *k*) in Sacrâ Philos. c. 80. p. 462. Videtur autem eos, qvi Vallesium sic statuisse putant, tantum hæc in eo priora legisse verba; *constat aperte non fuisse hanc metamorphosin aliud, qvàm morbum eum, qvem medici vocant melancholiam &c.* non autem seqventia: *Alioqvi & figura ipsi mutata est, non qvidem penitùs in beluinam, sed in magnam deformitatem, & faciem ab humanâ diversam, corporis totâ cute duratâ* &c.

...stigiis; §. 30. Deficiunt (2) asserentes transmutationem Nebucadnezaris fuisse merè præstigiatoriam, ita ut saltem apparuerit Rex tanqvàm bestia. Sic statuisse dicunt Mich. Medinam, Schottus (*l*) & Stengelius (*m*).

l) l. c. p. 510. *m*) l. c. p. 318. 319. 320. Conf. Cornel. à Lap. p. 1308. in Daniel.

§. 31. Ille sententiam Medinæ explicat ita, qvòd Nebucadnezar sibi & aliis bestia apparuerit per præstigias, hic, nisi me omnia fallunt, qvòd sibi tantùm. Qvomodo autem cunqve statuerit, utraqve tamen opinio incongrua videtur & absurda. Demonstrant hoc certè Balduinus (*o*) sæpeqve citati Schottus (*p*) & Stengelius (*q*).

o) In Casib. Conscient. p. 557. 558: *hic*, inqvit, *ratione ex mutatione istâ tantùm fieret simulatio, & ex opinione aliorum duntaxat mutatus fuisset visus.* *p*) l. c. & p. 513. *q*) l. c. p. 320. qvinqve hic in contrarium habet rationes: (1.) *qvia hoc non est mutari sed tegi.* (2.) *qvia non ab extrinseco, sed intrinsecùs eum mutatum esse significant illa verba: cor ejus ab humano commutetur, & cor feræ ei detur.* (3.) *qvia fænum ut bos comedit, qvod non facturus fuisset, si in se ipsô mutatus non esset, sed tantùm aliis mutatus apparuisset.* (4.) *qvia commemorantur disertè capilli ejus in similitudinem aqvilarum crevisse, & ungves ejus qvasi avium.* (5.) *qvia ipse de se testatur suo non aliorum sensu sonato, sensus meus reversus est ad me, & figura mea reversa est ad me. Qvod non dixisset, si in eo tantùm deceptus fuisset sensus alienus.*

...excessu ...tatione ...ntiali qvoad ...tem, §. 32. Contraria huic qvoqve opinioni est pars, qvam vocavimus excedentium; sed unum ea fugiens extremum in alterum dilabitur. Statuit enim Nebucadnezaris Transformationem fuisse substantialem, eamqve vel qvoad partem, vel qvoad totum. Qvoad partem, hoc est corpus tantùm, contigisse existimant Dorotheus, Epiphanius & Cedrenus (*r*) [vel qvicunqve libros edidêre inscriptos nomine duorum priorum (*s*)] Bodinus (*t*) ejusqve defensor J. Fridericus (*u*) aliiqve (*w*).

r) Hic notanda veniunt qvatuor: (1.) opinio ipsa. Volunt itaqve ii Nebucadnezarem non totum in feram fuisse commutatum, sed interiùs formam hominis, h. e. animam immortalem servâsse; exteriùs autem prorsus fuisse aliâ & qvidem bestiæ figurâ indutum. V. Stengel. l. c. p. 325. 326.

326. Balduin. Ca.. Conic. p. 557. Schotti Ph. c. p. 510. & Erasm. Brochmand. Syst. Theol. T. II. p. 593. (2) Opinionis hujus expositio. Anterius qvippe dicunt habuisse figuram bovis, posterius leonis. V. Henr. Salmuth ad Pancirolll, Rer. Memorab. p. 475. Gerhard. Loc Theol. T. 8. p. 269. Magnificum Geierum ad Daniel. p. 370. Nicol. de Magic. Act. p. 136. Kornmann. de mirac. Vivor. p. 206. Simson. in Chron. Cathol. part. 3. p. 111. Stengel. l. c. & Cornel. à Lap. in Dan. p. 1308. (3) Opinionis hujus fundamentum & origo, qvæ duplex est: (1.) *qvod septuaginta verterunt sic: & gramen qvasi bos comedit, pili autem qvasi leonum (non aqvilarum) excreverunt.* (2.) *qvod Scriptura dicit etiam: cor fera detur ei; bos autem non fera sed bestia est, at leo & fera & bestia est.* V. D. Geier. l. c. Schottum l. c. Stengel. l. c. & p. 333. & Brochmand. l. c. (4) opinionis hujus refutatio, qvam vide apud Schottum, Stengelium, aliosqve. *s*) Suppositii enim esse putantur. Qvâ de re Vossius de Idol. p. 946. & ex eo Georg. Hornius ad Severi Histor. S. p. 278. Sic autem ait: *planè repudianda est sententia qvam de ipso (Nebuc.) legere est apud Dorotheum Tyrium, sed suppositititum scriptorem, judicio etiam Molani, Bellarmini, Possevini; fortasse Dorotheum Abbatem Romanum, ut visum Baronio. Scio idem legi apud Epiphanium in vitâ Danielis. Sed nec opusculum illud de prophetarum vitâ & interitu magno illo Salaminis apud Cyprios episcopo satis dignum existimo. Multa adeò ex Thalmudistis hausit incerta, imò falsa. Nec ejus libelli meminit Theologorum veterum qvisqvam.* Rem hanc etiam subolfecit Simsonius l. c. qvi vocat *Scriptorem, qvi Epiphanius vulgò nominatur.* *t*) V. Brochmand. l. c. p. 593. Ipse Bodinus pluribus id prodit in locis: in dæmon. 348. 352. 353. 356. in consut. Wieri p. 764. 765. *u*) in Orat. de Lycanthr. p 97. Qvanqvam enim paulisper Theologorum contrariam propter opinionem ab initio dubitat, in hanc Bodini tamen sententiam maximè inclinare videtur. *w*) Medina (cit. D. Geiero l. c. qvanqvam alia ei longè opinio attribuatur §. 29.) & ut videri alicui posset, Agrippa de Vanit. Scient. c. 44. 48. Riolanus in commentar. ad Fernel. de abdit. rerum caus. p. 111. & Majolus T. I. dier. Canicul. p. 72. qvi tamen T. II. p. 332. revocat.

§. 33. Qvoad totam substantiam esse Nebucadnezarem transformatum, Josephus (*x*) existimâsse dicitur multis tamen contradicentibus; uti qvoqve fieri solet in explicatione sententiæ Gregorii (*y*) & Corporis Canonici (*z*). *sive qv... totum*

x) Hâc de re Stengelius p. 325: *Qvidam*, ait, *Josepho adscribunt eam sententiam, qvasi Nabuchodonosor reipsâ ex homine bestia sit factus. Sed neqve Josephus id scribit, neqve ratio patitur &c.* Conf. Vossium de Idol. p. 945. Cornel. à Lap. in Dan. p. 1308. & Magnif. Geierum l. c. Verba ejus hæc sunt: *De Josepho tradunt etiam Lyranus & Carthusianus, At si formam bovinam tribueris Nebucadnezari (qvod tamen in Josepho nusqvam apparet.)* Aliam qvoqve sententiam Josepho attribui vidimus §. 25. (si idem est ille, qvem hic citant) Qvocirca si Lyranus vult Josephum tantùm

putâsse

putâsse corpus Regis esse mutatum, tres ei sententiæ diversissimæ ab Autoribus attribuuntur. y) V. Dn. Geier. l. c. Barbosam in Collectan. Doctor. in jus Pontific. T. 5. p. 345. Nicol. de Mag. Act. p. 136. Kornmann. de mirac. Viv. p. 206. Delrium in Disq. Mag. p. 190. Vossium l. c. z) c. 17. q. 4. Can. 8. miror. verba hæc sunt: *Nabuchodonosor Regem intende, qvi causâ superbiæ in bovem est ex homine commutatus.* Vide Glossas ad h. l. in edit. Corporis Canon. Paris. anno 1585. D. Geierum l. c. & Kornman. l. c.

§. 34. Verùm disputent de opinionis hujus propugnatoribus, istud omninò certum faciunt Theologi, Philosophiqve qvamplurimi (*a*), qvicunqve ità senserit, falsam planè & à Scripturæ textu absonam fovisse opinionem.

a) Danhavv. in Colleg. Psych. p. 29. Brochmand. T. II. Systhem. Th. p. 593. Gerhard. l. c. p. 269. 270. Stengel. p. 326. 327. Prückner. in Vindic. Biblic. ad Daniel. p. 211. Schoran. l. c. p. 1095. Remig. dæmonolatr. p. 230. Weremberg. in exercit. Metaph. 20. theor. 12. p. 596. Ludovicus Dunte in Casib. Consc. p. [illegible]2. Th. Brovvne in Relig. Medici sect. 36. part. 1. p. 216. &c.

[...]e expo-[...], qvi fu-[...]ajunt ac-[...]ntalem.

§. 35. Regiâ seu mediâ incedunt viâ, qvi dicunt Nebucadnezarem melancholiâ seu lycanthropiâ morbosâ laborantem, accidentaliter etiam esse in bestiam commutatum. Sic sentiunt Dillherrus (*b*) Danhavverus (*c*) Gerhardus (*d*) Lucas Osiander (*e*) Nicolai (*f*) Balduinus (*g*) Goclenius (*h*) Simsonius (*i*) Wierus (*k*) Spineus (*l*) Stengelius (*m*) Schottus (*n*) Jacobus Tirinus (*o*) Vossius (*p*) Voetius (*q*) Dn. Geierus (*r*) aliiqve.

b) Elect. II, 12. p. 231. seqq. *c*) Coll. Ps. l. c. *d*) l. c. *e*) ad Daniel. p. 409. *f*) l. c. p. 137. *g*) l. c. p. 558. *h*) disput. Phys. in fine p. 635. & Lexic. Philos. p. 1138. *i*) l. c. *k*) de præstig. I, 13. p. 112. III, 1. p. 369. *l*) de Strig. p. 499. *m*) l. c. p. 327. 332. 333. *n*) l. c. p. 512. 513. *o*) in Daniel. p. 770. *p*) de Idol. p. 946. *q*) in disputat. Theol. p. 9[illegible]. *r*) in Daniel. p. 371. 372.

§. 36. Sed ii ipsi inter se tamen haut mediocres agitant adhuc lites de causâ efficiente (*s*) & modo mutationis istius accidentalis (*t*), qvas omnes si recitare vellem, valde foret prolixum. Jam enim multa de Nebucadnezare diximus, sed non præter rem ut opinor, cùm ea non ad metamorphosin solùm divinam faciant explicandam, sed & deinde in refutatione Bodini usui nobis futura sint magno.

s) Putant enim nonnulli Deum mutâsse Nebucadnezarem immediatè, qvidam mediatè per diabolum. Vide Wierum l. c. Spineum l. c. Gerhard. l. c. Delrium l. c. Stengelium p. 319. 320. Balduin. l. c. p. 557. Pruckner. in Dan.

Dan. p.212. *t*) V. Schottum, Stengelium, Cornel. à Lapide locis citatis, ceterosqve anteà allegatos.

§. 37. Brevibus autem sententiam dicimus nostram, qvam ab initio jam subinnuimus. In mediâ nempe persistimus viâ & opinione, maximè habentes in oculis explicationem ejus, Magnifici Geieri.

§. 38. Duas jam metamorphoses recensuimus à summo factas Numine, qvibus addendæ adhuc restant qvatuor. Sed de his, cui transformationis classi veniant adscribendæ, affirmare tutò non possumus, præsertim cùm eas tanqvam reverâ factas obtrudere nemini audeamus. *[…]um (β) […]bia.*

§. 39. Hæc in genere præmonuisse sufficiat; de singulis enim agemus singulatim. Ut aliqva autem earum extet distinctio, â termino ut vocant ad qvem distingvemus. Facta namqve est primò in porcum, deinde in lupum, tertiò in vulpem, & deniqve in ursam.

§. 40. In porcum conversus est Armeniorum Rex Teridates (*u*), qvod an verum, non definio, nec falsum pronuntio, sicuti & in reliqvis faciemus. Alii aliter hoc referunt. Nam in modo non solùm, & causâ mutationis, sed & restitutionis efficiente dissentire, vel diversa saltem dicere Autores videntur. Alii ob conatum virgines Ripsimem & Gajanam ad impudicitiam alliciendi, ob Christianorum alii persecutionem, nonnulli verò ob Gregorium ad 14. annos foveæ cœnosæ & caliginosæ inclusum ab eo, varieqve afflictum, in bestiam transfiguratum esse affirmant. Id qvod factum esse, sunt qvi putant per insaniam, & formæ externæ mutationem, sunt qvi per præstigias. Dantur etiam, qvi â Gregorio solùm, alii qvi postea â S. Martyre in pristinam restitutum formam commemorant. *in porc[…]*

u) Vide Majoli Dies Canicul. T.I. p.72. Schotti Phys. Cur. III, 20. p. 502. Stengelium de Monstris p 350. 351. ubi pluribus hæc historia narratur.

§. 41. In lupum mutati sunt homines qvidam Ossyrienses qvovis septennio, referente Caspare Schotto (*w*) & Giraldo Cambrensi (*x*). Mirabilem autem & incredibilem ferme hanc esse historiam unusqvisqve qvi leget, affirmare non verebitur. *in lupu[…]*

w) in Phys. Cur. p. 503. 504. 505. *x*) in Tractatu de miraculis Hiberniæ p. 433. qvi continetur in Florilegio Insulæ sanctorum collecto à Thomâ Messinghamo. Historiæ hujus, cùm sit admodum prolixa, summa tantùm capita recensebo. Ad Sacerdotem qvendam in sylva pernoctantem accessit lupus, qvi interrogatus qvis esset, respondit se hominem cum uxore sui per imprecationem Sancti Natalis Abbatis in lupum con-

C verti

verti qvovis septennio. Rogavit deinde, ut uxorem suam non procul graviter infirmatam consolaretur, & viatico Sacrosancti corporis instrueret. Qvod sacerdos multis precibus coactus fecit, cùm vidisset pellem totam à capite lupæ abs lupo retractam usqve ad umbilicum, & ita statim expressâ formâ vetulæ eam apparere.

in vulpem; §. 42. In vulpem transformatus est Rex Britannicus Chairtis à Deo S. Patritii precibus commoto, uti recenset Beda & Jocelinus. (y).

(y) apud Stengelium l. c. p. 519. 520. & Schottum l. c. p. 505. 506. Bedæ nos tantùm locum ex Stengelio adducemus, qvi sic ait: *Nunciatum est S. Patritio aliqvando, neqvissimum opus cujusdam Britannici Regis nomine Chairtis, infausti crudelisq; tyranni, qvi erat maximus persecutor & interfector Christianorum. S. igitur Patritius per epistolam suam ad viam veritatis eum revocare tentavit, sed ille salutaria ejus monita deridebat. Qvod ubi denuntiatum est homini Dei, flexis genibus oravit, & dixit: Domine si fieri potest, expelle perfidum hunc de præsenti sæculo & futuro: nec multo post præfatus ille tyrannus musicam artem à qvodam sibi præcantari fecit, à qvo audivit, qvod citò de suo regali transiturus imperio esset: omnesq; Charissimi ejus in hanc vocem proruperunt. Tunc ille, cum esset in medio foro, illico vulpeculæ miserabiliter arreptâ formâ, profectus est in præsentiâ suorum, qvò eum impetus animi duxit, & ex illo die, illâq; horâ velut à diabolo raptus nunqvam comparuit.*

in ursam. §. 43. In ursam, Virginem qvandam nomine Claram esse transmutatam, non pœnæ verò, uti reliqvos, sed defensionis gratiâ, tradunt Joannes Niderus & Stengelius (z), qvi dicit [nescio an ita bene (a)] *Christum in historiâ sanctissimè fecisse, & virginem non violatam mutâsse, & ne violaretur sub ursi formâ servâsse illibatam; qvod in fabulis Poetæ finxerunt ab iniqvâ Junone impiè factitatum, cum Calisto vitium passa in ursam conversa est.*

(z) l. c. p. 380. seq. qvi verbis perqvàm oratoriis & prolixis id refert. Qvare ne verba adducendo tam prolixa tædium alicui moveamus, paucis historiam complectemur. Virgo itaqve nomine Clara formositate insigni ornata rure maluit degere, qvam in civitate, ubi periculum pudicitiæ ejus instaret. Sed qvod fugit, in id incidit fugiendo. Dominus enim terræ in matrimonium eam vi dare conatus est servo suo, cùm blanditiis nihil posset. Igitur ambos in carcerem inclusit, ut violentè virgo à mancipio corrumperetur. Sed castissima non verbis restitit solùm & minis, sed & a Deo in ursam est commutata. Servus hoc perterrefactus auxilium clamore imploravit ursam sibi non conjugem datam dicens. Venientibus verò hominibus virgo pristino schemate, humanáqve facie astitit, sicqve è turri dimissa est Clara, re, nomine & opere.

(a) Indigna enim videtur Christo comparatio ejus cum Junone gentilium Deâ, Dei veri cum falso & cui tanta scelera ab Ethnicis attribuuntur. Hinc qvoqve Excell. Præses in disposit. Orator. Them. II. Pente-

cost.

cost. §. 41. & 42. non vult Christum comparare cum Prometheo igni repertore (qvod facit tamen Muretus in Orat. lib. I, or. I. p. 10.) *sanctum illi nomen Christi esse, dicens, qvàm ut illud eruat è mendaciis Diaboli.*

§. 44. Atqve hæc sunt ea qvæ promisimus sex Transformationis divinæ hominum in bestias exempla, è qvibus Deum T. O. M. non posse solùm, sed etiam reverâ homines transformâsse colligitur. Affines iis qvoqve in historiâ deprehendere licet metamorphoses, ut uxoris Lothi in statuam salis (*b*) Baculorum in serpentes (*c*) Capitis vitulini in caput humanum (*d*) piscini capitis in caput Symmachi (*e*) serpentis in aurum (*f*) aqvæ in sangvinem (*g*) & vinum (*h*) aliorumve in alia. *3. Cog*

b) Genes. 19. v. 26. *c*) Exod. 4. v. 3. 17. v. 9. & 12. *d*) Stengel. l. c. p. 255. 256. *e*) Stengel. p. 257. 258. *f*) Delrio Disq. M. II, q. 18. p. 190. *g*) Exod. 7. v. 20. *h*) Johann. 2.

§. 45. Unde luculenter Dei apparet omnipotentia, qvi omnia qvæ vult exeqvitur, cùm ad pœnam impiorum, tùm bonorum defensionem & liberationem à malo (*i*): id qvod in exemplis modo allegatis perspicere qvivis potest (*k*). Et hi nimirum sunt fines, qvos intendere Deus in Transformatione hominum solet. *4. Fin*

i) Vide Augustinum de Civ. Dei XVII, p. 591. & Goclen. in Lexic. Philos. p. 1138. cujus verba de Transformatione divinâ in genere loqventia, applicare non difficile erit, nec incongruum ad Transformationem hominum in bruta. *Divina*, inqvit, *Transformatio est, qva fit omnipotentis Dei vi & potestate, vel ad declarandam justitiam scelerum ultricem, vel ad ostendendam potentiam aut beneficentiam divinam ergà homines.* *k*) Punivit Deus transformando, Pericoscium, Nebucadnezarem, Teridatem &c. defenditqve Claram Virginem.

§. 46. Conseqvens Transformationis divinæ accidentarium est Restitutio, qvam secutam legimus qvandoqve, qvandoqve non. Sic in pristinam formam restitutus est Rex Babyloniorum Nebucadnezar, Teridates, Clara, qvod de Pericoscio & Chairti non invenimus. *5. Con[...] restitu[...]*

§. 47. Qværi hîc igitur posset, an Deus unqvam transformaverit ita homines in bestias, ut planè nunqvam in hâc vitâ restituerit? Sed qvæstio hæc cum sit facti, & historiæ de eo sileant, nihil etiam certi affirmabimus. Probabile autem videtur, Deum nunqvam non restituisse transformatos in speciem pristinam.

§. 48. Aut enim transformavit homines substantialiter ad pœnam, aut ad defensionem, de qvo tamen posteriore dubitamus, cùm sufficere possit conversio accidentalis. Sed ponamus id factum esse,

Deus omnino non ita defendet, ut defensum à vitâ dein æternâ excludat. Si verò hoc accidit puniendi gratiâ, non verisimile videtur, Deum non restituturum esse transformatum, cùm instet major eâ temporali pœnâ, pœna nimirùm æterna. Qvod autem attinet conversionem accidentalem, credibile etiam est, restitutionem aliqvam in hâc adhuc vitâ secutam.

...itio, §. 49. Ex jam dictis facillimè definitionem Transformationis divinæ fabricare poterimus. Est igitur ea, qvâ Deus (*l*) vel substantialiter vel accidentaliter transformat in bestias (*m*) homines (*n*) tàm ad impios puniendos qvàm probos defendendos (*o*).

l) ubi causa indigitatur efficiens. *m*) forma. *n*) materia. *o*) finis.

...LICA. §. 50. Hactenus de divinâ egimus Transformatione, qvam diabolica (*p*) excipit, non indigna consideratu. Et hinc qvoqve, uti abs rebus aliis qvamplurimis, Diabolum simiam esse Dei (*q*) colligendum.

p) Hanc Danhavverus Coll. Psych. p. 30. vocat *feritatem magicam*; Goclenius in Lex. Phil. p. 1138. *Transformationem magicam & diaboli potentiâ factam*. Conf. Nicolai de Magic. Act. p. 121. Balduin. in Cas. l. p. 555.

q) Extat eâ de re peculiaris Dn. Dilherri liber anno 1640. in 4to. Jenæ editus, qvi inscribitur: Dei Simia Diabolus seu Cacozelia gentilium. Adde huic Florum I, 13. p. 85. Rupertum ad h. l. p. 209. & Hermannidem. Berneggeri qvæstion. Misc. ex Taciti German. 48. Tobiæ Wagneri inqvisit. in Oracula Sibyllar. de Christo p. 11. Plur. Reverendum Rappoltum Patronum & Præceptorem Nostrum summopere colendum, in Observat. ad Martialis Xenia epig. 4. observ. 3. epig. 27. Obs. 2. & Excellentiss. Præsidem in Dispos. Orat. Them. 2. annot. 5. §. 5.

...um ...iptio: §. 51. Qvid verò ea sit Transformatio, qvivis ut opinor vel nobis tacentibus asseqvetur. Ut nimirùm divinam vocavimus eam, qvæ à Deo, ita diabolicam, qvæ à diabolo expeditur. Operæ autem pretium videtur, ut ante videamus de qvæstione an sit, qvàm qvâ diabolus ratione homines in bestias transformet, disqviramus.

...ntia: ...egant ...am §. 52. Status igitur controversiæ est, an ejusmodi diabolica detur transmutatio? Ubi qvidam sunt ejus existentiam planè negantes (*r*) prætendendo, omnem qvæ in historiis reperitur metamorphosin, atræ bilis excessu, & morbo, Medicis qvi vocatur lycanthropia, contigisse.

r) Vide Bodin. dæmon. p. 348. 349. Friderich. l. c. p. 17. & Schottum l. c. p. 122.

...endo ...s; §. 53. Cui sententiæ addicti sunt Paulus Ægineta (*s*) Actius (*t*) Condronchus (*u*) Avicenna (*w*) J. Langius (*x*) Joan Cocus, Jacobus Martini (*y*) Hieronymus Mercurialis (*z*) aliiqve (*a*).

s) Ci-

s) Citante Schotto, Fridericho & Bodino. t) Schottus & Friderichus ll. cc. u) Schottus l. c. w) Friderich. l. c. x) Epist. Medicin. p. 413. l. c. *Ego verò*, inqvit, *non carminum aut herbarum beneficio, sed serius animi vitiis ac atra bilu lupina morbo, qvem Graeci à* λυκȣ *id est lupo lycaonem & lycanthropiam appellant, in lupos mutari arbitror, &c.* y) Zeilerus in Centur. Var. qvæst. l. c. p. 231. z) Vide Cerdam ad Virgilii Bucol. p. 166. & Kornmann. de mirac. Vivor. p. 203. 204. qvi tamen ea habet omnia, qvæ Cerda ab eo non citatus. a) Nisi fallor sic qvoqve sentit Zachias l. c. & Cambdenus de qvo vide Camer. Hor. Succ. 1. 72. p. 329. & Majoli dies Canic. T. 2. p. 323.

§. 54. Sed iis facillimè responderi sententiaqve defendi poteri affirmans. Primùm enim exempla qvædam transformationum non negamus de lycanthropiâ loqvi morbosâ (b) asserentes tamen plurima de transmutatione diabolica intelligenda (c) esse. refuta

b) Id qvoqve concedit Schottus l. c. p. 123. & Friederichus l. c. c) Hâc in re meoum faciunt Peucerus de divinat. p. 284. & 285. & Vossius de Idolol. III. 41. p. 945. qvi postqvàm lycanthropiam morbum esse pluribus ostendit, hæc subdit tandem: *Neq; propterea existimo morbo semper tribuendum, qvoties de lycanthropis in qvæstionem venit. Nec enim pertinaciter inficias iero, Spiritus malignos, ubi vident se nancisci decipi idoneos (ut fere sunt atrâ bile laborantes) formâ interdum lupi apparere &c.* ubi deinde modos qvosdam diabolicæ transformationis recenset.

§. 55. Qværo deinde, an ii etiam, qvi non sibi solùm, sed & aliis feles, lupi, aut alia animalia visi sunt, melancholiâ laborâsse sint dicendi (d)? illud sanè neminem adversariorum credo asserturum esse. Cùm autem horum innumera fere habeantur exempla, (e) non video, qvî partis contrariæ sententia subsistere firmo talo qveat. Ex his in medium adducere qvædam erit spero non incommodum.

d) Hoc qvoqve argumento utuntur Schottus l. c. Bodinus p. 349. l. c. Delrio in Disq. M. p. 1. 188. & Voetius in disput. Th. p. 939. part. 1. cujus verba præcipuè sunt notanda: *omnes historias*, inqvit, *& experientias falsi arguere nimis temerarium est, præsertim cùm nec scriptura nec rationi repugnet, nec contradictionem implicet modus ille metamorphoseos præstigiatoria à nobis ostensus. Et necessariò ille statuendus est, cùm non tantùm sibi, sed & aliis videntur lupi, canes &c.* e) hinc inde proponenda. Vide interim Bodin. dæm à. p. 323. ad 357. Schottum l. c. à. p. 113. ad p. 121. Remigium dæmon. p 224.

§. 56. Franciscus itaqve à Rosset (f) narrat de Nobile qvodam fide dignissimo, qvi transmutationem hominis ipse vidit in in lupum. Verba Nobilis recensentis eam qvoad sensum hæc sunt: In Livoniâ unusqvisqve Magus aut Lycanthropus alium pariter hoc veneno infi-

 cere

ere poteſt, & ipſi eam proprietatem dare, ſi cum eo nimirùm bibit, & certis adhuc verbis ceremoniisqve utitur (*g*). Novi Nobilem qvendam, de qvo fama exierat, tali eum infectum eſſe veneno, ſeqve in lupum convertere ſolitum. Ad hunc tempore qvodam in præſentiâ aliorum in convivio dixi: publica mihi fama narrat, te qvoqve te ipſum in lupum transformare poſſe, qvod cùm rationi & naturæ contrarium ſit, meumqve ſuperet intellectum, credere neqveo, ſed pro merâ habeo melancholiâ. Ad qvod reſpondit; qvid? annon credis? Aſpice manum meam. Qvæ locutus manus in momento in tetrum lupi mutata eſt pedem, dum amicus meus ad ſe eam trahere voluit, qvi perterrefactus dixit, qvid mihi cum diabolicis illuſionibus tuis, & ab eo diſceſſit. Statim verò Nobilis in lupinam ſpeciem totus eſt mutatus, & à convivio in ſylvas cucurrit.

f) in Traurigen Geſchichten p. 93. 94. verſion. Germanic. Zeilleri, è qvo hiſtoriam hanc in latinam lingvam tranſtuli. *g*) Conf. Peucerum de divinat. p. 281. qvi idem dicit: *in collegium lycanthroporum pertrahi, qvi cum his verſantur & compotant; inſici enim conſvetudine horum & compotationibus.*

§. 57. Egregium ſanè transformationis diabolicæ hoc eſt exemplum, & optandum eſſet, ut omnes lycanthropiam pro melancholiâ tantùm habentes, cum Nobile hoc falli ſe & dari omninò diabolicam transformationem edocerentur.

§. 58. Vincentius etiam ſcribit (*h*) *duas in Germaniâ hoſpitas fuiſſe ſagas, qvæ hoſpites ſolebant in beſtias interdum vertere. Cùm itaq; hiſtrionicum qvendam adoleſcentem in aſinum convertiſſent, qvi (ut erat rationis compos) voluptates mille viatoribus exhibebat, hunc magno fuiſſe à vicino emtum: illas tamen dixiſſe ſe non eſſe præſtituras, nam eum ſi flumen accederet, amiſſum iri: Aſinum itaqve die qvodam elapſum in lacum proximum abiiſſe, & ſimul ac fuiſſet immerſus formam recepiſſe. Id Petrus Damianus vir ſuâ ætate inter primos numerandus, cùm rem ſciſcitatus eſſet diligentiſſimè, ex hero, ex aſino, ex mulieribus ſagis confeſſis factum, & ex iis qvi aſinum elapſum reſtitutum viderant, Leoni VII. Papæ narravit, & poſtqvàm diu in utramqve partem coràm Papâ fuit diſputatum, hoc tandem poſſe fieri conſtitutum.*

h) V. Bodin. dæmon. p. 345. 346. Ulricum Molitorem de Python. Mul. p. 50. Majol. dies Canic. T. I. p. 72. T. II. p. 324. Schott. Ph. C. p. 114. 115. Wier. de præſtig. p. 240. 241. Nicol. de Magic. Act. p. 131. 132.

§. 59. Morbo ſanè laborare dicendus is, qvi juvenem hunc hiſtrionicum

nicum à tàm multis pro asino aspectum, morbo lycanthropiæ infectum fuisse dicit. Sed affine præcedenti huic historiæ legitur apud Augustinum (*i*). *Nam & nos*, inqvit, *cùm essemus in Italiâ, audiebamus talia de qvadam regione illarum partium, ubi stabularias mulieres imbutas his malis artibus in caseo dare solere dicebant, qvibus vellent seu possent viatoribus, unde in jumenta illicò verterentur, & necessaria qvædam portarent, postq; perfuncta opem ad se redirent.*

i) de Civ. Dei. XVIII, 18. p. 591. Si qvis autem cum Sigismundo apud Ulricum Molitorem de Python. p. 49. dicat: *hic Augustinus loqvitur de auditu alieno, dicens se à qvibusdam recitatoribus audivisse; unde dictum Augustini nihil in hoc concludit, qvia testis de auditu alieno loqvens non probat*; Ille à nobis ut ea credat non urgebitur, sed deducetur potiùs ad reliqvas à nobis adductas modò historias, transformationem diabolicam firmissimè statuminantes.

§. 60. Sic enim videtur Augustinus fidei aliqvid transmutationibus istis tribuere, (*k*) qvod & ex verbis modò præcedentibus colligi potest. *Si enim dixerimus*, ait, *ea non esse credenda, non desunt etiam nunc qvi ejusmodi qvædam vel certissima audisse vel etiam expertos se esse asseverent.*

k) Sic qvoqve sentit Nicolai de Magic. Act. p. 120.

§. 61. Similiter fere Peucerus (*l*) qvi de existentiâ Transformationum diabolicarum prius dubitavit, *de certis & exploratis indicationibus testium ἀξιοπίστων comperit, ut ipse fatetur, non prorsùs fictitia & falsa esse, quæ de metamorphosi hominum migrantium in lupos sæpe narrari audivit.*

l) de divinat. p. 280; verba Peuceri etiam eo non citato reperiuntur apud Majolum T. II. Dier. C. p. 321. paucis modo immutatis.

§. 62. Taceo qvòd Petrus Mamorius (*m*) in Sabaudiâ & Belonius (*n*) in Ægypto mutationem hominum in bestias à se visam esse referant, & in nostrâ qvoqve Germaniâ id sæpe fieri à venatoribus magnâ confidentiâ asseratur (*o*).

m) Vide Bodinum in dæmon. p. 337; & ex eo Schottum l. c. p. 120. & Majolum T. II. Dier. Canic. p. 324. qvi etiam habent qvòd Transformationem magicam Henricus Coloniensis in libello de lamiis pro indubitato affirmet, & Ulricus Molitor asserat Lycanthropum à se fuisse visum Constantiæ, qvi accusatus, convictus, damnatus, & à confessione morti fuerit traditus. Sed neqve apud eum in cap. 3. p. 45. nec c. 8. p. 75. in qvibus de Metamorphosi hominum agit, hæc à me reperiuntur. *n*) V. Majolum l. c; conf. Bodinum p. 344. 345. dæmon. *o*) Vide Moltkenium ad Relig. Medici p. 187.

§. 63. Unde necessariò seqvitur, falsam esse eorum sententiam, qvi metamorphosis magicæ infringere existentiam conantur. *Permultis enim*, ut verbis Bodini (*p*) utar, *rationibus & testibus opus fuerit ad ementiendos populos omnes terræ, omnesq; historias.*

p) l. c. p. 349. Rosset. Traur-Gesch. p. 91. & Stengel. de Monstr. p. 488. qvi dicit *sentire se multa de commemoratis ficta & fabulosa esse, plurima autem contigisse, negari non posse; immo qvadam qvi contra tot oculos negaret impudentem esse.*

historias ... ucundo ... ndacii,

§. 64. Hucusqve de statuentibus Lycanthropiam nihil aliud esse qvàm morbum. Paucis adhuc agemus cum Plinio (*q*) fabulas censente non historias esse, qvæcunqve de hominibus in animalia bruta mutatis circumferuntur. *Homines*, ait, *in lupos verti, rursumq; restitui falsum esse confidenter existimare debemus, aut credere omnia, qvæ fabulosa tot seculis comperimus.* Et paulo post: *Mirum est qvo procedat græca credulitas! nullum tàm impudens mendacium est, ut teste careat.*

q) In Nat. Histor. VIII, 22. p. 364. Mirandum verò est, Plinium, qvi aliàs non invitus mendacia summa credit, huic de Transformatione fidem adhibere noluisse. Excusare videtur eam velle Bodinus p. 342: *hoc ille*, inqvit, *non audet confirmare, metuens ut sibi non habeatur fides.*

... similiter ... iciuntur.

§. 65. Sed hæc verba cùm dupliciter explicari qveant, duplici qvoqve modo erit respondendum. Si nimirum Plinius de Transformatione hominum in lupos substantiali loqvitur, respondemus concedendo, cùm ita nobis contrariam non foveat opinionem. Si verò de Transfiguratione in genere acceptâ, sicut nos sumimus, verba intelligenda ejus sunt, respondemus eodem ferme qvô anteà modo, opponentes ei simul autoritatem historicorum antiqvorum, ut Herodoti, Pomponii Melæ, Solini, Strabonis, Dionysii Afri, & M. Varronis (*r*) qvi omnes Transformationis exempla posteritati relinqventes, ea simul suo approbant calculo.

r) V. Bodin. dæm. p. 341. Schotti Ph. C. p. 122. Cerdam ad Virgil. l. c. Balduin. Cas. Cons. p. 553. qvi dicuntur eos historicos putare transformationem Diabolicam substantialem. Verùm in hoc Plinio non opponimus eos, sed in eo, qvòd statuunt existentiam diabolicæ. Qvi enim substantialem esse censet, is qvoqve existere illam necessariò affirmat.

Qvalitas ... æstigiosa.

§. 66. Probato nunc transformationem dari diabolicam, modus qvoqve qvo diabolus homines commutat in bruta, est considerandus. Nos primò sententiam proponemus hâc de re veram, falsam deinde ac absurdam cum refutatione adducemus. Dico igitur, apparentem tantùm & præstigiosam esse transmutationem diabolicam.

Sen-

Sentiunt ita Christ. Waltherus (*s*) Stengelius (*t*) Nicolai (*u*) Sennertus (*w*) Sprengerus (*x*) Spineus (*y*) Molitor (*z*) Biermannus (*a*) Schedius (*b*) aliiqꝫ qvamplurimi.

s) In Postillâ Theol. Jur. Polit. Part. I. p. 377. *t*) l. c. p. 319. *u*) de Mag. A. p. 84. *w*) Instit. Med. p. 293. *x*) in malleo malef. p. 298. Contrarium etiam statuentes refutat p. 141. 142. 143. seq. 296, 297. *y*) de Strigib. p. 549. seq. 564. 615. in Ponzimb. p. 636. fin. *z*) p. 75. ubi declarat, *qvid sit præstigium*, Ulricus, qværente Sigismundo, *Ars*, respondet, *trasformandi formas juxta apparentiam. Præstigium dicitur, qvasi præstringens oculos, prout ait Isidorus l. 8. ita ut ipsi dæmones præstringendo oculos faciant apparentiam, qvâ homo judicat rem alterius formæ esse, qvàm sit, ita ut qvis videns hominem, credat eum esse asinum vel lupum, & tamen unusqvisqꝫ retineat formam suam, qvanqvam oculi nostri decipiantur & ad aliam speciem erroneo judicio deducantur.* *a*) disp. cit. p. 683. *b*) de Diis Germanis p. 255.

§. 67. Modus verò transformationis præstigiosæ non est unus. Diabolus enim cùm sit μυϱιοτεχνίτης, multis hominem modis transfigurat. Id qvod in ipsa qvoqve qvarundam transformationum diversitate elucescit. Fatemur autem lubenter plures diabolum habere, vel habere saltem posse, Transformationis modos, qvàm à nobis hîc referentur. Satis tamen ut opinor erit eos, qvos maximè putamus esse probabiles, in medium producere. *4. Modi rii: qvi fiu vel (1) in du do pelle*

§. 68. I. Diabolus hominibus ipsis veras pelles, & exuvias ejuscemodi bestiarum aptissimè circumdat, qvod contingit utplurimùm, qvando illis præbet lupinum vel aliud corium in trunco arboris cavæ abscondendum (*d*). Huic opinioni addicti sunt Nicolai (*e*) Pfuel (*f*) Stengelius (*g*) Schottus (*h*) Delrio (*i*) Vossius (*k*) & Voëtius (*l*).

d) Huc tendere videntur verba Plinii, qvando IIX, 22. de *vestitu in qvercu suspenso & eadem receptâ veste* memorat. *e*) p. 133. 134. & 142. l. c. *f*) de Mag. p. 128. *g*) l. c. p. 496. 508. *h*) Ph. Cur. p. 126. *i*) Disqvis. Mag. p. 188. *k*) de Idol. p. 946. *l*) disp. Th. Ph. p. 938. part. I.

§. 69. Posse hoc autem facere diabolum nemo arbitror negabit. Probat id Stengelius sic loqvens (*m*): *Potuit Nero humanis manibus ita confectas piscium aliarumqꝫ bestiarum exuvias comparare, ut veri piscis aut veræ belluæ instar nataret, vel homines laniaret in theatro vel amphitheatro, & id diabolicâ arte confici non posset?* Potentiâ probatâ evincunt

cunt actum ipsum cùm confessiones Lycanthropoprum plurimæ, (n) tum præcipuè exempla.

m) p. 496. l. c. n) Nicol. p. 134. Delr. Disq. p. 188. Schott. p. 126.

§. 70. Hoc modo *Petrus Stumpfius*, (o) *qvi Bebburgi in oppidulo Ubiorum ultimo supplicio affectus est, qvoties cingebatur Zonâ latâ qvadam à dæmone succubo donata, sibi & aliis in lupum verti videbatur, & vero hoc schemate ter qvinq; pueros jugulavit, eorumq; comedit cerebellum crudelis gulâ. Qvin etiam duas nurus suas conatus est devorare, qvovis verò lupô appetentior, qvâvis tigride sævior.*

o) V. Stengel. l. c. Goqvem ad Augustin. p. 596. Nicol, l. c. p. 134. Delr. Disq. M p. 190.

§. 71. Sic etiam Lycaonem illum apud Ruthenorum ducem mutatum esse scribit Nicolai (p) de qvo ita Remigius (q): *Ruscia dux qvidam cùm audivisset in ditione suâ esse hominem, qvi se in eam qvam vellet formam mutaret, accersitum illum ac prius catenis constrictum jussit in hoc artem suam propere ut ostenderet. Qvod cum ille dixisset se qvidem lubenter facturum, modò in propinqvo conclavi liceret soli paululum esse, idq; illi esset concessum; è vestigio egressus lupi qvidem nativâ specie, sed iisdem, qvibus antea, catenis impeditus, in magnam omnes qvi aderant, sui admirationem traduxit: Sed in ferocissimos duos canes qvos Dux in insidiis ad id collocaverat, incidens miser discerptus dilaniatusq; est.*

p) l. c. p. 131. 133. 134. Stengelius ei contrarius p. 496. & aliam mutationem ejus ex modo III. nostro asserit. q) dæmonol. p. 228 229.

§. 72. Videtur qvoqve Propertium velle, hoc Transformationis modo mutatam esse Strigem Lenam, de qvâ sic:

Audax cantata leges imponere Lunæ,
Et sua nocturno fallere terga lupo (r).

Per *nocturnum* enim *lupum* exuvias intelligere lupinas prodive est.

r) IV. 5. p. 290. Perperam hos versus attribuit Ovidio Beyerling. in Theat. Vit. H. in Lit. L. p. 300.

vel substituendo; §. 73. II. Diabolus rem veram hominem scilicet velocissimè summovet; & feram in ejus locum vel brutum insensibiliter substituit; ita ut homo in bestiam conversus esse videatur. Mecum sentiunt Biermannus (s) Stengelius (t) Cundisius (u) Delrio (w) Kippingus (x) Balduinus (y) & Voetius (z).

s) l. c. p. 683. *Reliqva autem,* inqvit, *qvæ de magicis rerum conversionibus circumferuntur, aut nunqvam visa esse, aut si qva visa sint, non rem videndam; aut*

aut si inviolatus persisterit oculus, rem videndam subdolè fuisse subductam aliamq; illius in locum substitutam plane asseveramus. t) l. c. p. 50
u) in Compend. Hutteri loc. V, qv. 17. p. 411. w) in Disq. M. p. 11
x) Antiqvit. Rom. p. 12. y) Cas. Consc. p. 555. z) disp. Th. p. 928.

§. 74. Hûc referunt mutationem sociorum Diomedis in volucres (a) & Iphigeniæ in cervam (b). Qvidam etiam asserunt socios Diomedis transformatos esse secundùm huic planè affinem mutationis modum, qvem habet Kippingus (c) ubi removentur homines, & diabolus se pro bestiis in earum specie substituit.

a) Vid. Delrio in Disqvis. Magic. p. 118. Balduin. l. c. Stengel. l. c. Augustinum de Civ. Dei l. c. p. 592. not. ad h. l. Coqveis & Ludov. Vivis. Conf. de Sociis Diomedis agentes Majolum Dier. Can. T. I. p. 209. Goclen. Lex. Phil. p. 1138. Tholosan. de Republ. XIII, 28. p. 604. Aldrovandum in Ornithologiâ XIX, 3. Tom. III. p. 36. 37. Sprenger. mall. malef. p. 299. 300. 301. Bernardum Basin. de Artib. Mag. p. 20. Nicol. l. c. 85. Solinum in Polyhist. p. 347. & Plinianas exercit. in eum p. 91. 92. 93. 94. 871. Stengel. l. c. p. 486. 487. 508. Langium Epist. Medic. p. 412. Wierum de præstig. p. 452. Plinium Nat. H. X, 44. p. 476. 477. b) V. Delrium Stengel. & Augustinum l. c. c) loc. cit.

§. 75. III. Diabolus ex aëre compresso aeream belluæ format imaginem, qvam tanqvam nebulam ad amussim conformatam, ita Mago suo circumdat, ut qvoad potest caput capiti, os ori, ventrem ventri, pedem pedi, brachia brachiis, & omnia membra membris ad vivum accommodet. Hanc opinionem vovent Stengelius (d) Ern. Pfuel (e) Spineus (f) Sennertus (g) Schottus (h) Kippingius (i) Nicolai (k) Beyerlingius (l) Delrio (m) & Vossius (n).

vel (3) formam ex aere effingendo;

d) p. 495. 496. l. c. e) l. c. p. 128. f) de Strigib. p. 500. g) Inst. Med. II. p. 300. h) Ph. Jur. p. 26. i) Antiq. Rom. p. 10. k) p. 135. l. c. l) l. c. p. 300. m) in Disq. p. 188. n) l. c. p. 946. conf. Remigium in dæmon. p. 232. qvi eò qvoqve tendere videtur, qvando dicit, *Vanas ejusmodi species extrinsecus adhiberi appositione, aut adumbratione rerum, qvæ talem præ se ferunt imaginem, qvalem dæmon tum ex usu esse existimat.*

§. 76. Et probabile est dæmonem id facere, cum constet ipsum, si transformare se vult in bestiam, hominem, aut aliud qvidvis (o) corpus sibi aereum accommodare.

o) Id in confesso est apud plerosqve Metaphysicos, assumere angelos corpora ex aere formata præter cadavera. V. Heerbord. Meletem. philos. disput. de Angelis p. 60. Scheibler. Metaphys. II. p. 222. Timpler. Metaph. p. 676. Sprenger. mall. p. 300. 301. & Stengelium l. c.

§. 77. Exempla habent Delrio (*p*) & Stengelius (*q*) qvi narrat de qvodam *sene qvem hoc modo in lupum* conversum esse verba indicant: *unum*, inqvit, *in viciniâ nostrâ ex his lupis cùm educto gladio qvidam vellet ferire, astitit repente seniculus exuviis lupinis in auram resolutis & sibi parci rogavit; cui etsi is qvem invaserat vulnus non imposuit, tamen magistratus parcere non debuisset.*

p) l. c. *q*) l. c. p. 471.

§. 78. Sanè si exuviæ lupinæ in auram fuerunt resolutæ, ex aere congregatas antea fuisse oportuit. Qvas lycanthropus ictus non morari sciens sed hoc modo transformatos facillimè vulnerari posse (*r*) statim dissipavit, in pristinamqve se figuram restituit.

r) Stengelium l. c. p. 495. Pfuel, Sennertum, Nicolai & Delrium locis citatis, qvos meritò mireris eadem omnes hac in re exprimenda ferme habere verba, præcipuè verò in initio, ubi per *non mirum est* incipiunt omnes.

§. 79. Anteqvàm ab hoc modo abeamus, lubet eorum argumenta adducere iisqve respondere, qvi hunc Transformationis modum in dubium

Objectio 1. audent vocare. Dicunt igitur (1.) aerem non esse susceptivum alicujus formæ seu figuræ, ex aere adeoqve effigiem lupi fieri non posse (*s*).

s) V. Sprenger. in mall. mal. p. 142.

Resp. §. 80. Sed ut sæpe distinctione veritas illucescit, sic idem hîc qvoqve potest evenire ut loqvitur Manutius (*t*). Distingvo igitur inter *aërem rarum & condensatum* (*u*). Illum figuram non recipere lubens concedo, hunc verò in effigiem qvandam à dæmone non formari posse nego.

t) de Legibus p. 232. *u*) Distinctionis hujus materiam suppeditant Stengelius p. 511. 512. & Heerbord l. c. p. 60.

Obj. 2. §. 81. (2.) Non semper unus & idem aër circa illam personam propter fluxibilitatem manere potest, præcipuè cùm moveatur (*w*). Ergò forma non poterit esse in aëre circumsistente. Eâdem verò hunc nodum

Resp. dissolvo distinctione, qvâ primum. Largior nimirùm formam non esse posse in aëre raro, dico tamen in condensato.

w) Sprenger. l. c.

Obj. 3. §. 82. (3) Sic videretur ab omnibus Transformatio, qvod tamen non fit (*x*), qvia dæmones non videntur ad minus sanctorum hominum visiones decipere.

x) Sprenger. l. c. de Macario, qvi non potuit decipi à diabolo. Conf. Eund. p. 145. 192. Agrippam de Vanit. Scient. c. 48. Langii delic. Acad. II, p. 38. Vincentii Specul. Natur. II, 110. p. 149. & Spineum in Ponzinib. p. 641. 642.

§. 83.

§. 83. Verùm hæc objectio non pugnat contrà nostram opinionem. Non enim putamus perpetuum & unicum hunc diaboli esse Transformationis modum, sed qvandoqve usurpare hunc, nonnunqvam alium. Qvando autem viri sancti viderunt verum hominem, qvi aliis apparuit in bestiam transformatus, tunc probabile est à dæmone aliam qvàm hanc adhibitam fuisse transformationis rationem (*y*). Imò ponam eo tempore ita transformatos esse homines, annon verò Deus, cujus vi & voluntate viri sancti præstigiis hisce decipi non potuerunt, facere valuit, ut ii perviderent aërem in bestiam effigiatum, verumqve adhuc adesse hominem, nec realiter transformatum viderent.

y) Consentit Sprengerus l. c. p. 145. *Legitur,* inqvit, *in Vitâ Patrum, qvod qvædam juvencula, qvia assentiri noluit cuidam juveni de turpitudine eam sollicitanti, ipse juvenis turbatus ex hoc à qvodam judæo procuravit maleficium fieri contrà illam; qvo pacto mulier conversa est in eqvam. Qva conversio non fuit secundùm rei veritatem, sed secundùm ludificationem dæmonis immutantis phantasiam & sensum ipsius mulieris, & aspicientium eam, ut videretur eqva, qvæ erat vera mulier. Unde ducta ad beatum Macarium, non potuit diabolus ita operari qvòd illuderet sensus ejus, sicut aliorum, propter suam sanctitatem; nam sibi videbatur mulier vera, non eqva &c.*

§. 84. (4.) Aëreum tamen corpus, vel homo in eo, non poterit voces aliasqve brutorum actiones edere, qvod fieri solere percepimus. Verùm hæc omnia concedo salvâ thesi nostrâ: Diabolus enim supplet & ipse expedit, qvod homines facere non possunt (*z*). *Obj. 4. Resp.*

z) Vide Sennert. l.c.p. 299. 300. Nicolai l.c p. 315. Stengel. p. 512. Schott. p. 125. Kipping. Antiq. p. 10. 11. Spineus de Strigib. p. 502. Delrio in Disq. M. p. 188. Remig. dæm. p. 234. 235. 236. Wierus de præstig. p. 651.

§. 85. IV. Dæmon alto lycanthropos detinet somno iisqve dormientibus phantasiam corrumpit, ut se putent factos esse lupos, aut alias id generis bestias, cùm ipse interim ea vel immediatè vel mediatè verè perpetret (*a*) qvæ facere se lycanthropi dormientes imaginantur. Sic existimant Camerarius (*a*) Balduinus (*c*) Peucerus (*d*) Laurembergus (*e*) Sperlingius (*f*) Schottus (*g*) Delrio (*h*) Nicolai (*i*) Augustinus (*k*) Stengelius (*l*) Vossius (*m*) Sennertus (*n*) & Althusius (*o*) aliiqve plures. *vel (4) corr pendo ph tasiam d mientiu*

a) dæmon enim qvandoqve veros excitat exagitatqve lupos, nonnunqvam ipse formam lupi assumit. Vide Vossium l. c. p. 495. Wierum de præst. p. 241. 242. aliosqve. *b*) Hor. Suc. Centur. I. p. 328. *c*) l. c. p. 556. *d*) de divinat. p. 283. 284. conf. qvæ habet p. 281. *e*) Acerr. Philolog. p. 548. *f*) Inst. Phys. p. 336. *g*) l. c. p. 126. *h*) in

Disq. Mag. p. 188. i) l.c. p. 135. 142. k) de Civit. Dei p. 591. 592. XVIII. Qvam Augustini sententiam esse experimentis omni ævo comprobatam, dicit Vives in not. ad h. l. p. 593. l) l. c. p. 494. 495. m) l. c. p. 945. n) Inst. Med. p. 300. o) in Dicæolog. p. 390. 391. Qvanqvàm autem Friderichus l. c. p. 20. hunc modum ad lycanthropiam diabolicam malè referri sentiat, nihil tamen qvò minus id faciamus obstare videtur. Ratio ejus est, qvòd hæc lycanthropia non sit vera & realis. Sed respondeo: omnis conversio magica est apparens, qvod in seqventibus ostendetur. Dejecto igitur fundamento, sententia Friederichi spontè corrruit.

§. 86. Exemplum ipse suppeditat Augustinus (p) qvod in medium producere non pigrabimur: *Qvidam, ait, nomine Præstantius patri suo contigisse indicabat, ut venenum illud per caseum in domo suâ sumeret, & jaceret in lecto qvasi dormiens, qvi tamen nullo modo poterat excitari. Post aliqvot dies eum velut evigilasse dicebat, & qvasi somnia enarrâsse, qvæ passus est, caballum se scilicet factum, annonam inter alia jumenta bajulâsse militibus, qvæ dicitur retica, qvoniam ad retia deportatur. Qvod ita ut narravit factum fuisse compertum est; qvæ tamen ei somnia videbantur* (q).

p) l. c. p. 592. Conf. Spineum de Strig. qvi hanc historiam eleganter declarat p. 509. 510. 511. q) Qvandoqve enim tales homines putant se tantùm ea somniâsse, qvandoqve verè accidisse. Vel forsan Præstantii Pater ab initio credidit verè facta esse ea, qvæ tamen somnia mera fuisse postea cognovit, cùm percepisset se semper eodem in loco dormientem jacuisse.

§. 87. Sprengerus item è Gvilielmo narrat (r) de qvodam viro, qvem eodem hoc modo transformatum esse patet. *Hic enim se converti putabat in lupum certis temporibus, qvibus in antris latitabat. Illuc enim certo tempore ivit, & sibi interim cum fixus maneret, videbatur qvòd lupus ipse factus circumiret pueros devorando, & cùm illud realiter solùm dæmon qvendam lupum possidens faceret, putabat falso se somnians circumire. Et sic tamdiu dementatus fuit, qvousq; inventus est in sylvâ jacere raptus.*

r) in mall. malef. p. 151. 152.

§. 88. Fuit qvoqve qvidam, referente Friedericho (s), qvi scripsit *Livoniam (t) se peragrâsse, deq; Lycanthropiâ studiosè passim inqvisivisse, ceteroqvin ex sermone præcipuorum Nobilium & civium intellexisse, præstigiosam illam esse, fieriq; per ecstasin, interceptis ac sopitis à Satanâ sensibus, variisq; formis in phantasiam immissis, qvibus per somnum hominibus ita illudat, ut expergefacti lupos se fuisse atq; nonnulla horum more fecisse constanter affirment.*

s) l. c.

s) l. c. p. 20. t) Si hoc hodie Livonis contingit, probabile est id qvoqve olim penes Neurios idem obtigisse. Eos enim eam regionem incoluisse viri docti autumant, qvam nunc Livoniam appellant, uti habetur penes Friderichum l. c. p. 28. Conf. Peucerum de divinat. p. 280. qvi idem asserit. De Neuris verò qvod in bestias sint transmutati, vide Herodot. IV, 105. p. 258. Pomponium Melam de Situ Orbis II, 1. p. 30. Lonicerum in theat. histor. p. 166. n. 7. Solinum in Polyhist. p. 615. & ad eum Draudium in Afric. p. 112. & Plinian. Exercit. p. 187. in qvibus Solini qvoqve locus restituitur, & pro æstatis temporibus, statis temporibus legitur.

§. 89. Plura qvi hujus transformationis modi desiderat exempla, adeat Henricum Nicolai (u) Peucerum (w) & J. Petrum Langium (x). Et Nicolai qvidem habet de tribus mulieribus, qvæ domi in lectis suis discumbentes vulneribus laceratæ sunt, cùm tres tamen dæmones felium specie ictum exceperint. Hoc qvomodo factum sit, facile qvis posset etiam conjiciendo asseqvi. Dæmon scilicet vulnera transfert in corpora transformatorum, & in eas qvidem partes qvibus in corpore bestiali sunt inflicta (y).

u) l. c. p. 129. 130. w) de div. p. 284. x) delic. Academ. II, p. 58. y) Vide Nicol. p. 136. Schott. Ph. Cur. p. 126. 127. Stengel. l. c. p. 495. Pfuel. de Mag. p. 128. (qvi ipsum sic qvoqve Lutherum statuere dicit) Sperling. Ph. p. 337. Voss. de Idol. p. 945. 946.

§. 90. V. Dæmon non dormientium tantùm, sed vigilantium etiam phantasiam (z) corrumpit, ut se bruta esse putent, & ipsi qvoqve aspicientes non aliter existiment, qvàm bestias se veras videre non homines. Id tamen permissione divinâ fieri non est negandum (a). Vel etiam (z) Vigilantium

z) Præcipuè verò Melancholicorum. Eleganter hinc veteres *melancholicum caput diaboli balneum* vocarunt. V. Zeileri Epist. 2. p. 7. Tobiæ Wagneri Inqvis. in Orac. Sib. In annot. p. 50. Danhavver. Colleg. Psychol. p. 30. Heigii qvæst. Juris part. poster. p. 331. n. 45. a) Uti alibi, ita hic præcipuè. Vide Sprenger. mall. malef. p. 146.

§. 91. Qvomodo verò id diabolus facere possit, apud citandos jam videre licet Autores, qvorum tamen omnia indiscriminatim non approbamus. Vide si lubet Sprengerum (b) Bernard. Basin (c) Molitorem (d) Delrium (e) Spineum (f) Stengelium (g) aliosq; (h).

b) Qvi prolixissimè disserit de hoc modo locis in variis, à p. 142. ad 151. 299. 300. 301. seq. 310. &c. c) de Artib. Mag. p. 15. 16. d) de Pyth. p. 77. 78. e) ad Senecæ Agamemn. p. 509. f) Apologiâ primâ p. 495. ad 501. & lib. de Strig. n. 581. g) l. c. p. 507. 508. h) Remig. p. 231. Agrippa de Vanit. Sc. c. 48. Voetius l. c. p. 938. Conf. Friderichi l. c. p. 11. qvi hanc sententiam recitat.

§. 92.

§. 92. Ne autem qvis putet hunc Transformationis diabolicæ modum eundem esse cum lycanthropiâ morbosâ, duo hic ejus ab eâ discrimina annotabimus: 1. enim differunt causâ efficiente, 2. circumstantiis. (1.) Ejus causa efficiens est natura, hujus diabolus. (2.) Ibi lycanthropus aliis versus in bestiam non videtur, qvod hîc tamen accidere constat. Taceo differentias alias, qvas brevitatis studio non placet adducere.

§. 93. Sufficiant qvoqve qvinqve hi Transformationis diabolicæ modi adducti à nobis, licet multò plures adhuc dari non diffiteamur (i). Aliqvando autem hunc adhibet dæmon, qvandoqve alium, prout ipse lubet & commoditas circumstantiarum exposcit. Hinc inter alios etiam eos nunc refutabimus Autores, qvi modum tradere audent universalem, cui Proteum istum alligare laborant. Sic enim commodè à thesi ad antithesin, ab assertione veritatis ad falsitatis refutationem dilabemur.

i) Multa enim sunt & naturalia, qvæ rem aliter qvàm est, faciunt apparere. Qvis etiam ignorat artificia optica, qvibus homines in qvæcunqve se volunt transformare apparenter possunt. Si verò sciunt hæc & expediunt homines, qvantò majora qvamqve perfectiora scire dæmonem & usurpare naturæ mysteria verisimile est. Vide Majoli Dies Canic. T. I. p. 73. & 74. Delr. ad Senecæ Medeam p. 70. & Disq. M. p. 120. Sprenger. mall. p. 137. 147. Bern Basin. l. c. p. 20. Molitorem p. 78. Nicol. l. c. p 128. Agrippam l. c. p. 48. Albert. Magn. de Mirabilibus mundi p. 223. 224. 227. 228. 229. & plur. in locis aliis. Stratemann. Theatr. Metaph. p. 969. 970. Moltken. ad Relig. Medici p. 187. 188. Conf. hujus disput. §. 5.

§. 94. Qvi igitur falsam de Transformatione hominum magicâ fovent sententiam, commodè à nobis dividentur in patronos cùm apparentis, tùm veræ transformationis. Qvi apparenter tantùm commutare homines putant diabolum, duplicis iterum sunt generis.

[…]ssentiunt qui

§. 95. Primo ii prodeunt loco, qvi modum IV. Conversionis diabolicæ, qvem nos antea (k) tradidimus particularem, universalem statuunt, eoqve solo refutatione digni sunt æstimandi. Modus enim ipse in se sic satis bonus est, si pro particulari venditetur (l): si autem universaliter & ubiqve asseratur, semper illum & in omnibus obtinere exemplis, ut humana sopoyet diabolus corpora, & phantasiam perturbet eorum, ut se putent lupos aliasve bestias, illud tandem est, qvod falsum absurdumqve esse qvivis cui mens est sanior, videbit. Appositè Schottus (m) somniare dicit Wierum [sententiæ ejus defensorem (n)] & delirare, dum ista persvadere conatur.

[…]modum 4. [un]iversalem [statu]ant, per […]ctionem […]me phan[tas]icam,

k) §. 83.

k) §. 83. seqq. l) Sanè si unqvam, hic propositiones particulares facere necesse est. Et didicimus ab Excell. Alberti in Collegio Physico facillimè rem expediri per eas, multos autem dum de re propositionem facere voluerunt universalem, falsos esse. m) p.124. l c. n) Hoc putat Schottus l. c. Bodinus in Confut. Wieri p.763.768. Ipsum Wierum hæc asserentem si videre libet, V. Lib. de præstig. II,27, p. 240. seq. V, 10.11. p.647. seq. Cum Eo sentire videtur qvoqve Fulgosus, qvantum colligere licet è verbis, qvæ citantur à Lonicero in Theatr. Histor. p. 171.

§. 96. Præsuppositô enim ea exempla, qvæ de præsentibus in ipsâ (ut ita dicam) tragœdiâ lycanthropis, ut sibi non solùm sed & aliis qvi bestiæ visi sibi sunt, non pauca referuntur (o) ad Wieri modum referri non posse, aut fabulas ea, aut Wieri opinionem falsam esse dicamus oportet. Illud verò cùm affirmare recta vetet ratio, hoc tandem concludere necessum.

o) V. §. disput. 53.54. §.75. §.81. in not. Stengel. p.482. Nicolai p.131. 132. Bodin dæmon. p. 336. &c.

§. 97. Potius igitur & contra Wierum est dicendum, qvandoqve adhiberi eum à diabolo modum, qvandoqve non, hoc est homines ipsos in actu præsentes nonnunqvam esse, qvandoqve verò dormientium vices cacodæmonem gerere, non aliter qvàm ut sagæ & magi ad conventiunculas nocturnas suas verè & corporaliter aliqvando, qvandoqve tantùm phantasticè & imaginariè transferuntur (p).

p) Sic putat verè Schottus in Phys. Cur. I.23. p.90. ad 109. Bodinus præfat. in dæmon. p.11.12.13.28,35. & lib. II, 4.5. p.284. seq. Nicolai l. c. Exerc.41. th. 9. p.73. seq. Pfuel l.c. p.131. seq. Tholosan. de Republ. p.601. n.8.4. p.602. Balduin. Cas. Consc. p.399. Nicolaus Bollus in Emporio Emporior. discurs. 8. p.204.205. Sprenger. mall. p.250. seq. Conf. Sperling. Inst. Ph. p.333.

§. 98. Qvod etiam Wierus negat, nullam aliam ob rationem, qvàm qvòd videbat utile hoc sibi fore & proficuum ad sagas à judicum punitrice manu defendendas (q), qvò tendere eum in omnibus libris suis observare cuivis licet facillimè. Hoc scilicet opinionis ejus commodum seu (ut cum vulgo loqvar) interesse qvæsivit.

q) Hinc est, qvod Bodinus p.335. dæmon. vocat *eum Magorum defensorem.*

§. 99. Nescio hinc, an commodè stringi contra eum possit argumentum Spinei (r) non punituros esse judices sagas si tantùm hoc fieret imaginativè, cùm ipse palam profiteatur malè in hoc agere illos, adeoqve diceret committi in hoc (uti vocant) principii petitionem.

r) de Strigib. p. 515. 516. 517.

§. 100. Seqvitur ut agamus de iis, qvi putant educi à dæmone è corporibus animas hominum, & in corpora transferri lupina, inqve re- *aut etiam rursum.*

stitu-

ſtitutione in priora reduci. Et hanc ſecundam claſſem eorum qvi ſtatuunt apparentem transformationem, conſtituere nihil vetat.

§. 101. Atqve hi cum præcedentibus conveniunt partim, partim diſconveniunt. Ii exempla qvædam lycanthroporum ad modum Transformationis IV. pertinere rectè intellexerunt, in hoc tamen falſi deinde, qvòd in omnibus eam obtinere ſunt argumentati. Particularis igitur eorum vera, univerſalis falſa eſt.

§. 102. Hi exempla ea ad modum IV. ſpectare non intelligentes, novum fabricârunt transformationis modum, qvi planè falſus eſt; & neqve in univerſali nec particulari valere poteſt.

§. 103. Opinionem ipſam, ejusqve originem invenire licet apud Peucerum (s) cujus verba audiemus, cùm non parùm declarare rem totam videantur. Sic autem ait: *Mutationis rationem talem eſſe ajunt. Qvi mutantur converſione momentaneâ concidunt ſubitò, ut qvi morbo attonito corripiuntur, & jacent ex animis ſimiles ac ſenſu carentibus & vitâ. Non abeunt autem nec loco moventur collapſi, neq; ita jacentes ulla veſtiuntur ſpecie luporum, ſed cadaveri ſimiles evadunt, & voluti atq; agitati reliqva in ipſis vitæ ſigna evidentia nulla præbent. Inde perſvaſio nata, eductas è corporibus animas in effictâ luporum formâ ſpectra immitti, & inde ubi peractum hoc eſt, qvod Diabolus inſtituit, remitti in corpora, qvod cùm ſit, vitam illos recuperare.*

s) de divinat. p. 281.

§. 104. Idem Peucerus in ſeqventibus rationem ſic ſtatuentium indicat, qvæ, ut brevibus eam proponam, eſt confeſſio lycanthroporum. Sed, ſi nullum aliud ita ſtatuentibus eſt fundamentum, malè conſiſtet eorum ſententia. Sagarum enim confeſſio nihil probat, cùm ſit judicii corrupti & phantaſiæ depravatæ (t).

t) V. Sperling. Inſt. Ph. p. 332. & diſp. hujus §. 88.

§. 105. Ceterùm etiam videtur eos qvi ſic ſtatuerunt iſtorum addictos fuiſſe ſententiæ, qvi totum hominem animam eſſe putârunt (u), corpus verò eſſe tantùm carcerem (w) in qvem anima peccans pœnæ ergò fuerit detruſa. Veſtigia hujus ſententiæ reperiuntur in verbis Peuceri (x) in qvibus dicitur impelli animas ut ex ſuis carceribus in lupina corpora involent &c. Sanè ſi id exiſtimârunt, faciliùs in hanc qvoqve delabi potuerunt ſententiam, cùm tam facilis ſit ejuscemodi metamorphoſis facta à diabolo, qvàm facta à carnifice deductio hominis peccantis ex uno carcere in alium.

u) Sic

v) Sic etiam statuisse Pythagoram, Platonem & Ori[illegible]
dispos. Orator. Them. III. Annot. 11. ad P. 86. seq.
Orat. I, 10. p. 91. 92. Barthium ad Statii X, Theb. Tom. [illegible]
crob. II. in Somn. Scipionis 12. p. 201. seq. Rhenius ad So[illegible]
w) V. Barthium l. c. Muretum l. c. Rhenium l. c. Monedulatum [illegible]
1. p. 390. 391. seq. Rogeri Thier zum Offnen Heydenth. part. 2. c. [illegible]
& not. c. 16. p. 406. not. Comenii Phys. Synops. p. 210. 211. Bisciol. [illegible]
cis. T. I. XI. 24. p. 891. Sthal. ad Tabell. suas Metaphys. IX. p. 62. Tab. [illegible]
68. Excell. Præsidis Dispos. Orat. Them. cit. Punct. 78. 79. 86. 87. 101. Annot.
I. §. 10. X. §. 1. 4. 5. XI, §. 18. XII. Erasm. in Colloq. Puerp. p. 396 397. 398. not.
Screvel. qvi etiam in Colloq. Conviv. Relig. p. 140. improbat eum loqvendi modum, qvando corpora vocantur sepulchra, domicilia aut instrumenta animarum, ipse tamen ita vocat in Colloq. Proci & Puell. p. 185. 188. & in lib. de misericord. Dei p. 56. 59. *x*) l. c.

§. 106. Sed hæc gentilizans opinio cùm à Theologis tum Philosophis nostratibus dudum est refutata (*y*). Ex verâ qvippe Philosophiâ constat hominem duabus consistere partibus essentialibus, corpore & animâ, eâqve separatâ mori. Morietur igitur homo in illa transformatione. *Solus enim Deus,* inqvit Delrio (*z*), *sic animam per raptum separare posset, & interea in corpore idoneas iterùm recipiendæ animæ dispositiones conservare.*

y) Vide Rhenium & Monedulatum ll. cc. qvibus adde Excellentiss. Præsidem l. c. Punct. 43. seq. 54. seq. *z*) in Disqvis. M. p. 210.

§. 107. Non autem puto Theologos id nostros esse concessuros, posse diabolum pro lubitu ita hominem occidere. Taceo qvòd alias in morte hominis dolor est, cùm hîc potius lycanthropi qvidam magna cum voluptate ad transformationes istas festinent (*a*).

a) Qvo argumento utitur Nicolai p. 124 l. 5.

§. 108. Sed ais: patet omninò è corporibus collapsis lycanthroporum prosilire qvandoqve species qvasdam (*b*). Ergò omninò diabolus verè educet animas è corporibus (*c*) qvæ nimirum sunt ejuscemodi species.

b) V. Peucerum l. c. p. 284. Del. p. 219. Disqvis. *c*) Id multi asserunt, qvi tamen hunc modum non statuunt Transformationis. V. Delr. Disq. M. II, q. 25. Schottus in Ph. C. p. 168. seq.

§. 109. Qvis verò Diaboli fraudes non subodoratur? Ille nimirum spectra ejusmodi fingit, ut hominibus persvadeat, cùm potentiam se habere animas educendi, tum animas esse materiales, qvæ nimirum imbutæ sic materiâ fuerint visæ.

§. 110. Progredior ad restitutionem lycanthroporum, qvæ præsuppo-

animas e corporibus, sine revivificatione fieri non
An autem eam dæmonem habere dicemus potestaetm?
i essemus, si id qvod soli Deo competit, (d) hosti simul
emus.

ngel. l. c. p. 491. seq. & 509. Sperling. Inst. Phys. p. 332. Nicol. l. c. p. 124. 127. 124. 225. Schott. l. c. p. 171. Delr. Dis. M. p. 119.

§. 111. Satis puto evictam esse falsitatem istius sententiæ, qvæ tàm cum sanâ Theologiâ qvàm Philosophiâ congreditur, sive intelligatur de eductione animarum in corpora diaboli artè facta, phantastica nimirum; sive vera, eaqve vel mortua, vel viva, horumqve seu informatione seu assistentia.

Si statu- transfor- onē re- ,
§. 112. Multis hoc probari adhuc posset (e) nisi tædium moturos nos vereremur alicui si pergeremus ulteriùs in refutandâ opinióne apertè falsâ. Ad eos potius proferimus pedem, qvi veram putant esse (f) seu reałém transformationem hominum in bruta.

e) V. Stengel. p. 491. Nicol. p. 62. 63. seq. 123. 124. seq. Sperling. Phys. p. 335. 336. Delr. Disq. M. p. 187. pluribus hanc sententiam refellentes. f) Veri vocem hic accipio non ratione existentiæ, sed essentiæ.

§. 113. Atqve hi sunt tam gentiles nonnulli (g) qvi errorem in eum ex principiis & concessis jam suis facilè delabi potuerunt, qvàm Christiani, ut Spondanus (h) Pomponatius (i) Paracelsus (k) Fernelius (l) Cæsalpinus (m) Camerarius (n) aliiqve.

g) V. Spineum de Strigib. p. 591. 592. In Ponzinib. p. 636. Moltken. ad Relig. Medic. p. 186. 187. Delr. Disq. p. 187. Balduin. Cas. C. p. 553. Remig. dæmon. p. 227. 228. Wier. de præst. p. 446. 447. Beyerling. in Theat. p. 300. in Lit. L. Augustinum de Civ. Dei XVIII, 16. 17. Non omnes autem id ethnicos affirmâsse credendum est., Contrarium enim statuit Plinius N. H. VIII, 22. (de qvo §. 62. 63. egimus) & Herodotus IV, 105. p. 288. aliiqve. V. Remig. l. c. p. 257. Spondanum ad Homer. Odyss. p. 138. 139. Cerdam ad Virgil. p. 166. Buc. Ceterùm Ethnicorum principia huic favisse opinioni tribus probo exemplis. (1) Statuerunt metempsychosin. (2) homines & bruta deificari sæpe (v. Spin. de Strig. p. 591. 592. Rhodigin. Lect. A. p. 836.) (3) defunctorum manes evagari e sepulchris non suâ solum, sed & brutorum formâ: V. Cerdam ad Virgil. Georg. p. 279. ubi non paucis hoc probat testimoniis. h) ad Homeri Odyss. p. 137. 138. 139. Conf. Nicol. p. 121. Stengel. p. 486. Delr. p. 190. Disq. Simson. in Chron. Cath. part. 2. p. 83. Cerdam ad Virgil. Buc. p. 166. Idem de eodem p. 187. sic ait: prudenti & nolenti decipi distingvenda est transformatio ab effectibus eam concomitantibus; qvod si Spondanus fecisset, non tam multa in Commentariis Homericis hâc de re vane & juveniliter effutivisset. i) de incantam. p. 275. 276. seq. k) V. Friederich. l. c. p. 40. Schottum l. c. p. 121. Balduin. in Cas. C. p. 554. l) V. Friderich.

rich. l. c. m) ..iderich. p.59. n) Qvidam eum etiam vocant Philippum Camerarium ut Delr. Disq. p. 190. Stengel. p. 486. Nicolai p. 121. eum vocat Joachimum Camerar. ejusqve Commentarium in Plutarch. de Oracul. citat. Verùm Philippus in Hor. Succ. contrarium potius affirmat. In Joachimi autem commentario nihil invenire potui, qvod eam redoleleret opinionem.

§. 114. Apprippa (o) aliqvo id etiam in loco affirmare videtur, qvòd alibi tamen & in seqventibus negat. Peucerum verò (p) licet multi hanc fovisse dicant opinionem, nihil minus tamen qvàm id statuisse judico.

o) de Van. Sc. c. 44. 48. p) V. Friederich. p. 40. Delr. l. c. Bodin. dæmon. p. 380. & Stengelium p. 486. 487. seq. qvi eum insuper mirum in modum qvasi opinioni huic fuisset addictus, suggillat. Sed incassum. Aliter enim sensisse Peucerum, indicant verba ipsa rectè inspecta p. 281. 284. 285. & confirmant Nicolai p. 121. & Gerhard. in loc. Theol. T. 8. p. 273. ubi catalogum recensens eorum, qvi non veram eam putârunt conveersionem, Pucerum inter eos collocat.

§. 115. Sed qvidqvid eorum sit, si autoritatibus pugnandum esset, majorem sane negantium, qvàm sententiam eam de Transformatione reali affirmantium, messem meteremus. Non enim Philosophi tantùm, sed & Theologi, JCti, Mediciqve (q) contrariam tuentur opinionem.

q) V. Gerhard. l. c. Friderich. p. 9. 16. & 18. Voet. l. c. p. 938.

§. 116. Nec desunt rationes firmissimæ, qvibus adversariorum sententia confelli refutariq; possit. Hæ ut meliùs & ordinatiùs proponantur in Disputatione Posteriore, respondeaturqve adeò rationibus eorum contrariis, lubet in antecessum rursus dispescere eos, qvi verè, h. e. substantialiter putant metamorphosin fieri diabolicam.

§. 117. Namq; ii existimant eam vel totalem vel partialem seu semisubstantialem. Qvi totaliter transformationem expedire dicunt Diabobolum, putant (ut verbis Schotti (r) utar) *non corpus solùm humanum in belluinum, sed animam etiam rationalem commutari, atq; adeò totum hominem in bestiam mutari, & ex homine verum lupum, verum asinum, aliamvè veram bestiam fieri.* *five tot*

r) Ph. Cur. p. 125.

§. 118. Qvi partialiter, corpus hominis in corpus bruti converti existimant, salvâ tamen manente animâ (s), qvemadmodum verè Basilidiani per vitia putabant hominem converti in bestiam qvoad animam, salvo tamen manente corporre (t). *five partialem.*

s) Vide Homerum Odyss. k. v. 240. p. m. 206. Spondan ad h. l. p. 139. Augustinum l. c. p. 591. Majol. Dier. Canicul. T. II. p. 325. Zeiler. epist. cent. 6. p. 956. Pomponat. de incantam. p. 276. Taubmannum ad Virgil. p. 759. Goclen.

 dispur.

disputat. Phys. p. 41. Nicol. p. 125. Bodin. dæmon. p. 349. 350. 356. in confut. p. 763. 767. Friederich. p. 20. 41. 42. r) De Basilidianis, eorumqve hâc sententiâ vide Baronii Annal. Ecclesiast. T. I. p. 192. Hopperum in præf. ad Apulej. Stengelium de Monstris p. 521. 522. Clementem Alexandrin. II. Stromat. p. 299. & Salmasium in Epictetum & Simplic. p. 164. ad 168.

§. 119. Istud statuit Horatius (u) observantibus Delrio (w) A. Gentili (x) Cerdâ (y) & Spondano (z). Nec dubium est fuisse etiam alios hanc opinionem foventes, uti ex Schotto patet (a). Hoc autem voluerunt tam supra (b) citati, qvàm Bodinus (c) & Friederichus (d).

u) Epod. XVII. v. 15. seq.

Setosa duris exuere pellibus
Laboriosi remiges Ulyssei
Volente Circe membra: tunc mens & sonus
Relapsus atq; notus in vultus honor.

w) Disq. M. p. 187. x) in Lection. Virgilian. c. 20. p. 183. y) in VII. Æneid. p. 6. z) in Homer. Od. p. 139. a) p. 125. l. c. b) §. 111. c) in dæmon. II, 6. p. 319. seq. d) in Orat. de Lycanthropis, an verè illi ut fama est luporum & aliarum bestiarum formis induantur.

§. 120. Qvanqvam enim hi aliiqve inficias eant, statuere se substantialiter à diabolo homines in bruta mutari (e), id tamen fecerunt tantùm causæ suæ diffisi (f). Videntes qvippe pugnare contra se Corporis Canonici autoritatem (g), saniores qve Theologos (h), viam invenisse se putârunt, qvâ incedentes tam opinionem retinerent propagarentqve suam, qvàm aliis se non statuere istud persvaderent.

e) Dicunt enim tantùm se asserere mutationem accidentalem. V. Bodin. l. c. confut. Wieri p. 767. Friederich. l. c. p. 41. 42. 43. 91. f) Uti plerumqve fieri ab ejusmodi hominibus solet. Sic qvi sunt athei, non dicunt se negare Deum, sed in libris tantum suis vel privatâ doctrinâ ea proponunt, è qvibus nihil aliud qvàm atheismus elicitur. g) V. Remig. 236 fin. h) §. 115. disp. in Schol.

§. 121. Sed in cassum. Plurimi enim ne dicam omnes fraudem sunt subodorati (i). Et qvis non subodoretur, cum tàm clara proferant verba (k) qvibus nihil aliud qvam transformatio semisubstantialis, h. e. corporis asseritur.

i) V. Psuel. de Mag. p. 128. Nicol. p. 121. 122. 123. Pruckner. in Commentar. ad Exod. c. 7. p. 204. 205. ad Daniel. p. 221. Biermann. in disp. de magic. Act. p. 6-9. §. 36. k) Bodinus p. 332. in fin. dæm. sic ait: *nihil omninò tam incredibile, & admirabile, qvàm homines in bestiam, & corporis in corpus mutatio.* An non hæc clarè indicant substantialem corporis mutationem? concedo eqvidem secundùm eos figuram hominum in bestialem etiam mutari. Sed, sane hæc figuræ mutatio (uti eam explicant,) post se trahit inevitabiliter mutationem

nem etiam corporis substantialem. Si enim partes totius corporis substantiales mutantur omnes, an non qvoqve ipsam corporis substantiam mutari dicendum est? Dicunt autem Bodiniani, mutari caput, dentes, brachia, ventrem, pedes, ceteraqve hominum membra. Dantur etiam exempla hominum mutatorum in mures, lepores, bufones, aves & id genus parva animalia. Si verò remaneret corpus tantumqve mutaretur figura hominis, magni sani mures ii fuerint. Necesse ergò secundùm eorum sententiam, ut totum corpus hominis annihilatum vel qvocunqve tandem alio modo sit mutatum. Bodinus qvoqve p. 350. (cum qvo conf. Friederichi. p. 41.) dicit *cum Homero, Ulyssis socios suum habuisse capita, pilos, & vocem.* Patet autem ad veram suum vocem formandam, qvam is intendit, etiam mutationem reqviri interiorum corporis organorum substantialem. Per corpus enim hominis vera suum vox edi non potest. Ad alia ergo. Idem p. 352. sic dicit *deinde verè actiones & asininus labor, qvem tres homines perferre neqveant, magnitudo, incessus, cibus gramineus, cardui humano corpori neqveunt convenire. Accedit luporum celeritas, cursus, morsus uncorum dentium ab homine alieni.* Sanè si nullibi hic Bodinum substantialem corporis & non accidentalem tantùm figuræ statuisse mutationem videmus. Proprio enim Bodinum jugulabimus gladio, dicemusqve eum, qvi actiones facit Asinorum, perfert eorum laborem, qvem hominis corpus perferre neqvit, magnitudinem habet asini (vel bovis) cibo ejus utitur & habet membra asinina, nec tamen juvatur ab alio, aut tantùm ita videtur, sed reverá est, non qvoad figuram modò sed & totam corporis substantiam mutatum in Asinum esse debere. Atqve hoc in similibus qvoqve procedit exemplis, & de Bodinianæ sententiæ defensoribus. Hi sunt Friederichus, Spondanus, Pomponatius, aliiqve. Ex his aliqva producemus in medium loca, ut & eos videamus Bodinum in hoc esse secutos. Friederichus p. 20. Illa (lycanthropia) *verè fit immutato corpore* p. 17: *verè sic appellata lycanthropia est hominum in lupos aliasvè bestias corpore tenus intellecta transformatio* p. 100. in annot. margin. *Non tantùm phantasia in homine, sed totum corpus dæmonum potestati obnoxium secundum Philosophos.* Hoc eùm probet etiam Friederichus, adqve suam sententiam adhibeat statuminandum, nihil aliud seqvitur qvàm Bodinianos statuere semisubstantialem transformationem ipsis etiam pernegantibus. Qvid Spondanus? is in Comm. ad Odyss. X. Homeri p. 137. ait: *hominibus corpora in bruta transmutari, & hominis corpus in bruti corpus* & p. 138: *homines corpore mutari in bestias.* Pomponatius verò de incant. p. 276. *materiam*, inqvit, *qvæ sub hominis formâ fuerat immediatè, in lupi formam transmutari, & materiam substantialiter transmutari ex vi agentis.* Atqve hæc allegata loca satis puto probasse; qvod intendi. Plura igitur adducere desino.

§. 122. Aut igitur statuunt semisubstantialem, aut eorum accidentalis, si res exigatur penitùs, aliud est nihil (*l*). Atqve hac in re similes mihi videntur Bodiniani iis, qvi rem vilem venditùri, qvæ nullum aliàs inveniret emtorem, priore spoliant nomine, eiqve egregium ali-

qvod

qvod & amabile imponunt, sic tandem faciliùs & magno vendi posse sperantes.


l) Tria hic alicui venire possent in mentem, qvomodo Bodiniani transformationem eam qva reverà est substantialis, accidentalem vocârint. (1.) Ea omninò etiam est accidentalis, sed non exclusivè. (2.) Forsan Bodiniani à potiore fecerunt denominationem. Potior autem pars est anima, qvæ non substantialiter ut corpus secundùm eos mutatur. (3.) Forsan statuerunt, uti gentiles, hominem esse solam animam, de qvâ opinione dictum est in anteced. §. 103. Hoc præsupposito accidentalis tantùm erit hominis mutatio cùm corpus utpote carcer animæ tantùm sit substantialiter mutatum. Atqve hæc ita possent fateor cogitari. An autem ea verè Bodinianis qveant attribui non definio, cùm in eorum scriptis eâ de re nihil inveniatur.

§. 123. Verùm qvidqvid etiam conentur, nobis eâ in re non imponent. Nam in Disputatione posteriore ut realis & semisubstantialis Transformationis Patroni refutabuntur, si Deus voluerit, ceteris qvæ ad conversionem Hominum in bruta adhuc pertinent adjectis. Deo interim pro concessis viribus sit Laus & Gloria in secula sempiterna!

Problema.

Unde Gentilium opinio originem traxit asserentium qvemvis hominem habere dæmonem unum, vel duos, vel tres, unum bonum, ceterosq; malos?

VEnire alicui posset in mentem, qvòd orta sit ex tribus eorum principiis: (1) *Hominis animam nihil esse aliud, qvàm dæmonem aut genium.* (2) *unam, duas aut tres in homine esse animas distinctas.* (3) *Rationalem bonam, ceteras malas ad vitium inclinare.* Hujus rei vestigia sunt tria: (1) Sæpe apud gentiles ponitur genius pro animâ corpori conjunctâ. (2) Ethnici statuerunt, ex fundamento forsan metempsychosis, genium unius alteri post mortem communicari. (3) Ἐυδαιμονίας vocem qvidam ex hoc interpretantur, qvòd εὐδαίμων sit, qvi habet dæmonem bonum i. e. animam bonam.



F I N I S.




JOHANNRUS
R. Angl.



MECHTIL
DIS &

ısv.

qvod & amabile imponunt, sic tandem faciliùs & magno vendi posse sp





JOHANNES II.
Rex Franc.

PHILIPPUS
valesius, Dux
Burgund.

JOHANNES
intrepidus

PHILIPPUS III.
Dux Burgund.


CAROLUS
Audax, Dux
Burgund.

MARIA.

I.
æ

ERDINANDUS I.
Imper. Roman.

MARIA
Uxor
WILHELMI
Duc. Civiæ



FERDINANDUS II.
Rex Hispan.

JOHANNA



RUPERTUS
Rigorosus, Imper.

STEPHANUS
Comes Palatinus

FRIDERICUS
in Simmern &
Sphanheim

JOHANNES I.

JOHANNES II.

FRIDERICUS III.
Elect. Palat.

LUDOVICUS
Elect. Palat.

FRIDERI-
CUS
Elect. Palat.

WILHELMUS
Princ. Auriac.

FRIDERICUS
HENRICUS
Princeps Au-
riac.